De castris Hygini qvi fertur qvaestiones,

qvas

venia philosophorum ordinis Academiae
Alexandreae impetrata

publice proposuit

NIC. ROB. AF URSIN.

HELSINGFORSIAE, 1881.

De castris Hygini qvi fertur qvaestiones,

qvas

venia philosophorum ordinis Academiae
Alexandreae impetrata

publice proposuit

NIC. ROB. AF URSIN,
Philos. Mag.,

in aud. phil. die VIII m. Oct. a. MDCCCLXXXI
h. a. m. s.

HELSINGFORSIAE,
EX OFFICINA FRENCKELLIANA 1881.

κἂν τούτῳ μὲν οὖν θαυμάσαιτό τις ἂν Ρωμαίων τὸ προμηθές κατασκευαζομένων ἑαυτοῖς τὸ οἰκετικὸν οὐ μόνον εἰς τὰς τοῦ βίου διακονίας, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρήσιμον.

Joseph. B. J. III, 5, 1.

Nulla enim alia re videmus populum Romanum orbem subegisse terrarum nisi armorum exercitio, *disciplina castrorum*, usuqve militiae. Veget. d. r. mil. I, 1.

Germaniae Philologiae

gratissimo animo

D

Praefatio.

Haec disputatio jam ante exeuntem mensem Majum hujus anni Berolini germanice conscripta erat. Postea eam in latinum sermonem necessitate coactus converti et locis qvibusdam correxi, sed cum ne unius qvidem ephemeridum, qvae spatio qvodam temporis intermisso in lucem prodeunt, post illud tempus facultatem habuerim in oppidulo Fenniae ab omnibus copiis litterariis remotus, fieri potest, ut multa, qvae in hac disputatione inveniuntur, jam ab aliis tractata sint. Qvam rem nullo modo evitare potui. — Ingressio longius extensa, qvam primo mihi proposueram ad rem maximam partem proprie non pertinet, sed de codicibus qvibusdam agrimensoriis aliqvid novi eam prolaturam esse spero. Ad disqvisitionem autem ipsam edendam commotus sum praecipue editione Guilielmi Gemollii, qvae post Langianam proxima tam temere et incuriose confecta est, * ut, si nulla esset, vix desideraturi simus. Itaqve multis locis nihil aliud nisi novis argumentis confirmavi, qvod jam Lange egregie protulit; multis autem aliter de rebus gravioris momenti longius disputavi et verba corruptissima libelli emendare conatus sum. Lovisae in Fennia d. 15 mens. Aug. 1881.

---

* Ne „indici" qvidem ejus confidere possumus, ut docent verba qvae ibi *fortuito* non inveni: accipit pedes 30, 22; accipit pedaturam 27 19; dexteriorem 23, 25; dictationem 24, 12; si res exiget, 21, 8; comitibus imperatoris nostri 30, 14; intra 24, 10; qvod *cum* conjunctivo 23, 16; 22, 1; sinisteriorem 24, 1. Eum verba in conjectura posita omittere noluisse, probat infelix vox: nonnulli (p. 45) aliaeqve.

Qvi „de munitionibus castrorum" vulgo inscribitur libellus nobis corruptissimus mendosissimusque traditus est. Codex ejus antiqvissimus et optimus, arcerianus, ut putant, sexti vel septimi saeculi jam gravissimis mendis erroribusque scatet. Praeclare igitur ac facete R. Schele, qvi primus hunc librum diligenter acuteqve tractavit, de textu nobis tradito *: „non jam illam speciem verorum castrorum, sed captorum et direptorum quaedam videmus rudera." Sed codex arcerianus est non tantum optimus et antiqvissimus, sed etiam is, qvi solus inspiciendus sit. Hoc de tribus codicibus, arceriano, wouweriano eyndianoqve A. Gemoll ** disputans demonstravit. Qvartum autem codicem, barberinum 1546, qvi ex arceriano esset descriptus necne dubium erat, neque ille perscrutatus est neqve frater ejus Guilielmus Gemoll, qvi postremam adhuc editionem libelli de munitionibus castrorum pervulgavit. Nec qvomodo codices agrimensorii, qvibus hic libellus continetur, inter se cohaererent, longius persecuti sunt, id qvod ex eo apparet, quod Alb. Gemoll ***, qvi sit codex, e qvo B (= apographum eyndianum) et C (= ap. wouwerianum) descripti sunt, nescit. G. Gemoll ne unum qvidem verbum de barberino reliqvisqve libris agrimensoriis habet; tres illos tantum memorat, qvos jam Lange in opusculo suo † perqvisivit.

* Graevius, Thesaurus antiqv. roman. vol. X p. 1009.

** Hermes X, 244 sqv.

*** l. a. p. 250.

† Hygini Gromatici liber de munitionibus castrorum, textum ex codicibus constituit, prolegomena, commentarium, tabulas duas, indicem adjecit Chr. Conr. Ludv. Lange, Gottingae MDCCCXLVIII.

Per benevolentiam doctoris Hülsen a doctore A. Mau Roma exemplum partium qvarundam barberini codicis accepi. * Qva re possum confirmare eam partem etiam hujus codicis, qvae libellum de munitionibus castrorum complectitur, ex apographo codicis arceriani sumptam esse. Nullius igitur momenti sunt omnes prorsus codices, qvi libellum de munitionibus castrorum exhibent, praeter arcerianum. ** Ex qvo cum omnes reliqvi codices descripti sint, non est operae pretium, ut diligentius pervestigemus, qvo modo illi ex hoc emanaverint. Satis est animadvertere, codicem C e codice barberino, qvem D appello, fluxisse, qvod ille hujus scripturas accuratissime repetit et in C lacunae qvaedam insunt, qvae in D non inveniuntur. Ut sunt in D, non in C, „id assignari“ (ed. Lang. p. 91 lin. 11, 12) „semper“ (p. 74, 10) cet. Qvam accurate codices C et D inter se consentiant nihil affero nisi qvod cum A (= arcerianus) et B „adsignavimus“ (p. 77, 3) habeant, in C et D scriptum est „assignavimus“; et „hemetricis“ (p. 71, 1), ~~„suo“ (p. 70, 10)~~ cet. plane eodem modo in his duobus codicibus significantur. Atqve omnes fere litterae, qvae a correctore (m 2) in D supra lineam scriptae sunt, eodem plane modo in C reperiuntur; qvam ob rem in hoc codice non sunt, ut conjecit G. Gemoll, *** secundum arcerianum aut A simillimum codicem additae. † —

* Cum haec disqvisitio jam scripta esset, forte incurri in pauca verba H. Droyseni (Rhein M. XIV, 477) qvae me effugerant. His tamen nihil aliud nisi Blumii sententiam confirmavit nulla fere afferens argumenta. Qvam codicem barberinum non noverit ex eo apparet, qvod qvis indicem codicis scripserit ignorare videtur.

** Jam Lange in editione sua arceriano primas diserte tribuit neqve omnes codices suos „fere pari honore dignos“ habuit, ut etiam de eo G. Gemoll (Hyg. p. 1) dicit (Lange prol. p. 31 sqv.)

*** ed. Hyg. p. 3.

† cfr. Reifferscheidium, Ind. schol. Vratisl. 18$\frac{72}{73}$ p. 6 sqv.

Codex autem B ex eodem fonte, qvo D derivandus esse videtur; eum e D non esse descriptum hac re apparet, qvod in B mentio fit scriptorum „Epafroditi et Vitruvii Ruffi“, qvorum notitiam e D scriptor codicis B haurire non potuit. *

Qvi est ille fons, e qvo codices B et D emanaverunt? Haud dubium responsum dat barberinus codex: „Hygini Gromaci liber de munitionibus castrorum ex Zancho IV.“ Hic autem codex Zanchi est codex vaticanus 3132. Ita rem se habere jam Blume ** conjecit: evidenter hoc demonstrare per codicem D eqvidem possum. Materia demonstrandi minima sane est, sed sufficiens. Scripturas codicis vaticani 3132 (= V) solum fere ex editione Gromaticorum Lachmanniana novi, ubi ad epistulam Balbi criticus ille celeberrimus eas impertivit, qvod, ut omnes sciunt, hic codicibus vaticano et jenensi arcerianus maximam partem supplendus

* Lange, prol. ad Hyg. p. 28. —

Index codicis barberini ita a Metello Seqvano scriptus est:

Fragmenta Agrimensoriae; ex Florentino codice; et libro Basilii Zanchi recens scripto sed e veteri sumpto.

M. Junii Nypsi de limitib. fragmentum: Vel, Balbi ad Celsum expositio et ratio omnium formarum Vel, Frontinus, sive Fronto: ex Fl. et Zancho: paginarum, VII.

Imperatorum de Agrimensoria constitutiones sex ex Theodosiano codice: ex Fl. I.

Nomina lapidum finalium, auctoris incerti: ex. Fl. IIII.

Nomina limitum et agrorum; ex. Fl. I auctoris incerti

Sexti Julii Frontini de coloniis: Vel, liber Augusti Caesaris et Neronis: Vel, Libri Agrimensurae ex Fl. et Zanchio: VII.

Mensurae rationabilium agrorum, aliqvot fragmentis ex Julio Frontino: ex Fl. VI.

Auctoris incerti, de fluminis varatione, et paucis aliis capitib. II ex Fl.

Numeri litteris expressi: incerti fragmentum I ex Fl.

Hygini Gromaci liber de munitionibus castrorum ex Zancho IV.

Ex Florentino codice sumpta, emendabamus ex libro Galesii Massae, rubrica; et Zanchi, atramento ∞ D X LVI · R·

** Die Schriften der römischen Feldmesser II, p. 473, 476.

est. Cum etiam scripturae codicis arceriani, qvatenus extant, in hac epistula a Lachmanno (usqve ad p. 91, 9) tradantur, videri potest, qvae codicis arceriani, qvae vaticani sint. Ac si utrasqve scripturas cum eis, qvae e codice Zanchii sumptae in D extant, conferas, qvattuor plane easdem esse invenias in codice barberino atqve in vaticano, sed ab arceriano discrepantes. Habent codices V et D (p. 91, 3): notitiam (cod. arc. B: notitia); (v. 6): qverenda (B: qvandam); (v. 7 post „neminem") est omissum: magis (B. habet magis); (v. 7) profuturarum (B. profuturum). Huc accedit, qvod etiam reliqvae scripturae codicis vaticani et Zanchii optime conspirant, codices autem Zanchii et jenensis discrepant. Qvae res nihil tamen certi demonstrare potest, quia maxima pars arceriani libri, ubi fortasse scripturae eaedem erant atqve in vaticano (= zanchiano) periit. * Codex autem vaticanus inter annos 1504 et 1536 „e veteri libro", ut in D dicitur, descriptus est. Certum est hunc Zanchii codicem (= vaticanum) aut arceriani ipsius aut apographi ejus codicis esse exemplum, qvia fragmenta Simplicio cuidam assignata continet, qvi auctor neqve unqvam fuit et per errorem scriptoris arceriani codicis extitit. ** Ex ipso autem arceriano Zanchium exemplum suum descripsisse veri simillimum mihi videtur. Raphael Volaterranus in opere suo *** commemo-

* Postea d:r Mau mihi scripsit in vaticano ipso esse in initio libelli de munitionibus castrorum (p. 65, 5 L): „extensionem" (in apographis levi mendo in „ostentionem" vel „ostensionem" mutatum) et in fine ejusdem libelli (p. 98, 8): „inundent interea meminisse," prorsus eodem modo ac in B et D (non A).

** Feldmesser, p. 26 sqv.

*** „sua grand' opera intilolata commentariorum Urbanorum libri XXXVIII," Tiraboschi, Storia della litteratura italiana VII, 3, 805, lib. IV fol. 56 editionis primae an. 1506 (v. Blume. Feldmesser II, 11 not. 13).

rat veterem codicem agrimensorium „nuper inventum", qvi aut arcerianus ipse aut apographum ejus fuit. Mommsen enim primus * ostendit, in enumerandis scriptis agrimensoriis codicis bobbiensis eundem ordinem a Volaterrano retentum esse qvem habet arcerianus codex, nisi qvod scripta hujus libri partis posterioris priori anteposita sunt. Nihil igitur per se obstat, qvin codicem bobbiensem, anteqvam arcerianus codex in hodiernam formam esset redactus, ex eo sumptum esse credamus. Hoc solum minime veri simile esse videtur, ordinem partium et codicis arceriani et bobbiensis postea mutatum esse, ut in utroqve pars prior fieret posterior. Nam in Zanchii exemplari, vaticano libro ordo partium idem est atqve hodie in codice arceriano. Qvae cum ita sint, recte nemo dubitat, qvin liber in bobbiensi monasterio repertus arcerianus fuerit, atqve isdem argumentis efficitur Zanchii codicem ex ipso arceriano descriptum esse. Nam recentiorem codicem statuere non possumus, qvod Metellus Seqvanus, possessor codicis barberini, eum e qvo Zanchi descripsit librum „veterem codicem" appellat; qvod cur dubitemus, nihil omnino habemus. Praeterea vetus exemplar codicis arceriani nusqvam extat; nam librum antiqvissimum Andreae illius Alciati „abrosis characteribus" primae Blumianae classi codicum agrimensoriorum attribui non posse eo apparere videtur, qvod nomen Nipsi illic nimii momenti est. **

Itaqve si ante a. 1500, qvo fere anno codex bobbiensis Romam invectus est (nam ante id tempus ibi non potuit notus esse, qvia Volaterranus a. 1506 scribit: „*his* annis proximis") *** codex agrimensorius primae classis ignotus erat,

* Feldmesser II, 216 not. 1.

** v. Blume, Feldmesser p. 54 sqv.

*** Haec res etiam Mommsenum (Feldmesser II p. 220) effugisse videtur; parum enim est verisilime, opus Volaterrani diu manuscriptum tantum jacuisse.

jam prius tertiae classis codices in manibus virorum doctorum esse potuerunt. Qvod mihi ea re confirmari videtur, qvod Volaterranus codici tertiae classis, qvem a Colotio mutuatus erat, significanter codicem arcerianum „nuper inventum“ opponit. * Certissimum autem est, Volaterranum cum opus suum de urbe Roma anno 1506 ederet, duos codices diversarum classium adhibuisse. Contra Blumium primus Mommsen ** excerpta Volpterrani e Nipso et Frontino (in tricesimo libro) probavit e codice tertiae classis sumpta esse. Verba: „qvi cursum solis seqvuti sunt“ (p. 248, 8) et „qvi cursum lunae secuti sunt“ (p. 248, 11), qvae non in arceriano codice, sed in erfurtensi et barberino et sine dubio in florentino qvoqve insunt, ad illud probandum plane sufficiunt. Est autem id qvoque certissimum, Volaterranum codicem arcerianum ad locos libelli de munitionibus castrorum laudandos adhibuisse. *** Ac per se consentaneum est eum per municipem suum Inghiramium nuper Romam invecti codicis notitiam habuisse. Et certe anno 1506 hunc codicem nondum Colotii fuisse, manifestum e verbis illius mihi videtur. Nam postqvam dixit: „de castris autem metandis Hyginus libellum edidit nuper inventum, qvem gromaticum appellavit. Est enim groma, ut ipsemet in eodem declarat

* v. Blume, Feldmesser II, 12 not. 15 et praesertim edit. Turnebi agrim. anni 1554 append. p. 17—19.

** Feldmesser II, 216 sqv.

*** Hi loci non modo in sexto decimo, ut dicit Blume (Feldmesser II, 12 not. 14) sed etiam in tricesimo libro e codice „nuper invento“ sumpti memorantur, v. Turnebi append. p. 1., qvam Blume prorsus ignorasse videtur, ut loci duo, Feldmesser II, 15, ubi res allata in appendicem non qvadrat, et p. 20 not. 25 docent. Etiam Mommseno haec appendix ignota erat, ut e verbis ejus (Feldmesser II 215) perspicuum est.

† Turnebus app. p. 18.

ratio etc." — qvae verba finis libelli de munitionibus castrorum usqve ab „eminentissimo loco" cum minimis mutationibus seqvitur — pergit: * „mensuras limitesqve agrorum nunc attingam ex Jul. Frontino et M. Junio Nypso, qvem (!) figuris pulcherrime adnotatum mihi tradidit vir ornatus omnisqve vetustatis studiosissimus Angelus Colotius." Primum igitur codex arcerianus commemoratur, *deinde* alter liber, qvi aperte Colotii esse dicitur. Cur autem Volaterranus scripta Nipsi et Frontini e codice colotiano descripserit, difficile est dicere, qvia ea etiam in arceriano inveniuntur. Credo eum jam ante qvam hic codex Romam venit illum mutuatum esse, atqve officii et honoris causa erga virum celeberrimum, qvi codicem suum commodaverat, qvae ex eo afferri possent, attulisse. Eundemne codicem tertiae classis Volaterranus usurpaverit ac Metellus Seqvanus in conficiendo exemplari suo (= D), dijudicare non possum, etsi sane veri simile videtur. In palatino-vaticano codice agrimensorio ** id qvidem Metellus asseverat, sed fieri potest, ut ex opere Volaterrani qvod supra nominavi collegerit. *** Res sine dubio jam ita decernitur, si nomina lapidum finalium, limitum agrorumque in opere Volaterrani et florentino codice inter se conferuntur. Nam codex, qvo usus est ad describendum Metellus, erat florentinus, qvi etiam nunc in bibliotheca laurentiana extat. † Qvae res demonstratur eodem

* p. 19.

** v. Blumium, Rhein. Mus. für Jurisprudenz vol. VII p. 185.

*** Eum hoc opus nosse et legisse ex annotatione marginali codicis barberini patet (fol. 2), qvae tamen, ut saepe, ab eo non accurate affertur.

† Plut. XXIX, num. 32. Metellus in codice suo: „Hoc exemplar alicubi immixtas habet litteras Longobardicas. Scriptum est in membranis *(alio atramento in margine et supra lineam Metelli manu:* qvibus Ciceronis epistolae famil. et Plinii et Taciti lib. IV scripte sunt) antiqvissimis characteribus antiqvitatem referentibus, nullis compendiis,

plane argumento hujus codicis, ut est in catalogo illo Bandinii: codd. mss. bibl. Med. Laur. II, 47 seqv.* (= Blume, Rhein. Mus. f. Jur. VII, 219 sqvv.) significatum ac codicis barberini. Ceterum codex florentinus possessores saepe mutasse videtur. Primum Colotius,** Aesi (= Jesi, non „Sesi") natus, eum, cum Volaterrano credebat, si credebat, habebat et sine dubio possidebat. Is enim, qvi duodecim annos Neapoli, novem Nuceriae, urbe Umbriae, per reliqvum aetatis tempus Romae versabatur*** ineunte saeculo sexto decimo nihil omnino cum Mediceis principibus et bibliotheca florentina habuisse videtur, ut codicem ex hac eum esse mutuatum putemus. Sed anno 1544 codex florentinus Florentiae in bibliotheca medicea erat, ubi Metellus, ut in codice barberino † et in libro agrimensorio Turnebi Lugduni Batavorum servato et in palatino-vaticano codice †† narrat, ex eo Nypsum, fragmentum Nypsi, fragmentum Frontini de limitibus agrorum describenda curavit. Haec res eo confirmatur, qvod „fragmentum Nypsi" i. e. initium ejus, qvod e Frontini libro excerptum est (p. 27, 13—34, 13 L) in apographo Metelli, codice barberino revera paginam I ex-

---

ortographia vetere distinctionibus ejusmodi, qvae priore hoc capite expressimus." *Alio atramento* (eodem qvo nota supra allata): „hic incipit qvaternio foliorum VII ut fortasse desit prius: suntqve omnia membranula conglutinata.

* Lachmann (Feldmesser II, 133) sine dubio per errorem nullum titulum epistulae Balbi in florentino extare dicit.

** Non, ut scripsit Eckstein: nomencl. philol. p. 96, Coluccius vel Collutius.

*** Tiraboschi, o. al. VII, 4, 1359 sqv.

† (fol. 32v): „I · M · S · I · C ·, Florentiae ex vetustissimo Mediceae bibliothecae codice Junium Nypsum litteris alicubi Longobardicis scripto et hoc ipsum sed minus antiqva manu fragmentum describi curavimus. M · D · XLIV".

†† Blume, Feldmesser II, 15.

hibet (fol. 27). Anno 1546, cum codex barberinus ad finem perduceretur * liber florentinus apud Colotium Romae servabatur, ubi Metellus per eandem, ut videtur, manum reliqva (fol. 3^v—9^v et 18^r—32^v) describenda curavit. Hoc etiam aperte diserteqve in adnotatione marginali codicis palatini-vaticani ** dicit de coloniis Frontini. Qvae cum ita sint, verisimile mihi videtur, codicem florentinum a Colotio anno 1527, cum urbem Romam depopulabantur, amissum Florentiam pervenisse et a Metello per hanc urbem a. 1544 proficiscente detectum et ex parte descriptum a Colotio repetitum esse. Post hujus mortem demum in bibliothecam laurentianam relatus est. Contendit etiam Metellus in libro illo lugdunensi codicem, qvi anno 1546 apud Colotium Romae erat, eundem esse atqve eum, qvem Florentiae descripsit; dicit enim fragmentum illud Frontini „de limitibus agrorum“ ex Medicea scribendum se curavisse ac cum addat: „Colotius Romae habebat, apud qvem vidi“, omnibus patet, unum et eundem codicem esse.

Neqve tamen haec, qvamqvam de codice barberino satis singularia et notabilia, omnia sunt digna memoratu. Florentino codice descripto, incidit in manus Metelli codex Galesii Massae, illustrissimi juris consulti et historici, *** ex qvo exemplum suum rubrica correxit. Neqve dubium est, qvin codex Galesii ad tertiam classem pertineat. Qvod ad demonstrandum hae duae res suppetunt. Primum in libro Balbi de coloniis (Nipsi de limitibus) codex barberinus habet rubram correctionem eo loco, qvi nisi in manuscriptis

* Qvam ob rem titulus finium regundorum, a qvo descriptio Romae continuabatur, rubrica scriptus est, — id qvod in reliqvis titulis codicis barberini non invenitur.

** Blume, Rhein. M. f. Jur. VII, 185.

*** de eo vide Tiraboschium ep. l. l. VII. 3, 890 s.

libris tertiae classis non invenitur. Est enim (p. 95, 21) in codice Massae „qvinqvaginta“ pro „sexaginta“, qvod in barberino et, ut videtur, florentino codicibus scriptum est. Deinde vox „augusteus“ inter „nomina lapidum finalium“ in „augalis“ rubrica correcta est; in hac autem tota enumeratione lapidum nullae inveniuntur correctiones e codice Zanchii factae, ut est consentaneum, qvia nihil omnino neqve in hoc codice neqve in arceriano lineamentis vel figuris adscriptum est. Praeterea hae res dignae sunt qvae memorentur. Codicis Galesii prima pars habet titulum: M. Juni Nypsi de mensuris; qvod a florentino distat, facile potest explicari, qvia verba „de limitibus“ hic recentiore manu (ut videtur Metello: Angeli Politiani) addita sunt. In codicibus primae ac secundae classium haec pars Balbo vel Frontino adtribuitur. Primae classis codicem illum Galesii non esse etiam hoc efficitur, qvod excerpta ex corpore Theodosiano (titulo paullulum mutato) et fragmentum coloniarum (p. 239, 20—240, 6 L) in eo insunt, desunt autem qvae sumpta sunt tantum e Zanchii libro. * Deniqve scripturae codicis Massae ita a scripturis tertiae classis non discrepant, ut putes eum exemplar esse codicis florentini. Qvod tamen sine dubio falsum est. Nam qvatenus ex eis, qvae brevissima de argumento codicis vaticani 3895 tradit Blume ** concludere licet, hic ipse codex galesianus est, in qvo cum haec verba sint: „In codice Florentino Julii Frontini Siculi Explicit liber primus,“ ***

* Qvae Graevius (Thes. ant. ital. VIII, 3, 24 D) e libro Massae: de origine et rebus Faliscorum affert, manifeste ad codicem tertiae classis pertinent. Neqve tamen hic codex fuit erfurtensis, ubi verba: „qvae appellatur Falisca“ desunt.

** Rhein. Mus. f. Jurispr. VII p. 224.

*** Qvae verba in exemplo Mauii significantur tamqvam non in galesiano desint; sed aut Mauii error esse videtur aut Metelli. Ceterum in codice galesiano fragmentum Frontini de lim. (v. supra) inscriptum

manifestum esse videtur galesianum librum non esse e florentino descriptum. Qvam rem confirmant scripturae utriusqve codicis: in illo verba qvaedam reperiuntur, qvae in hoc desunt, ut p. 91, 10: *ut* post *festinat;* p. 91, 12 *ipsas* post *inter; et* post *potuit. Nam.* Certum testimonium praebet scriptura illa: qvinqvaginta pro sexaginta, nisi in florentino libro est LX vel L. Sed haec qvaestio a me non potest dirimi, qvia mihi neqve materia suppetit et codex florentinus e barberino solum notus est. Codicibus florentino et vaticano 3895 perscrutandis alius qvis rem ad finem perducat. Ne hoc qvidem, utrum codex mutinensis (M) e galesiano descriptus sit an ex eodem fonte, qvo galesianus manaverit, cum argumenta mihi non sufficiant decernere possum. Tituli sane iidem esse videntur, sed scripturae locis qvibusdam differunt: p. 91, 12 *nam et:* gal.; *nam:* M.; p. 91, 13 *sufferre:* gal; *ut sufferat:* M. — Huic expositioni de galesiano et florentino codicibus id addo, qvod cum codex florentinus minus copiosus sit qvam erfurtensis (E) (v. p. 90, 18; 240, 7 L), hic illius exemplar esse non potest. Sed recte codex florentinus, qvoniam multis locis meliores scripturas praebet (ut p. 95, 1 digitos Flor., omiss. E.; p, 95, 25 discerneret Fl. (D), discederet E; 267, 2 de finium Fl., diffiniunt E.) si editio nova „gromaticorum veterum“ paratur, conferatur.

Correcto codice barberiuo ex galesiano scripturas libri Zanchii discrepantes Metellus in codice suo adnotavit. * Supplevit etiam ex eo fragmenta qvaedam atqve totum libellum de munitionibus castrorum e codice vaticano addidit.

---

erat: „de limitibus Higini“ et limitis repositio Nipsi „Fragmentum in in impresso titulo de controversiis.“

* Metellus in codice D: „ex codice Basilii Zanchi recenti, ex qvo integrum hunc librum de coloniis emendavimus. Notae autem minio scriptae, *ex libro antea descriptae sunt Galesii nostri.*

„Nypsum" vel „epistulam ad Celsum" ita supplevit, ut ipse in extremo folio 3r initium supplementi scriberet, reliqva (fol. 10—14) altera manus in qvaternione minoris formae. * Deinde qvaecunqve de coloniis florentino codici deerant, Metellus ipse descripsit. ** Hoc additamentum e Zanchii libro minore forma inter folia 9 et 18 codicis barberini insertum est.

Supra memoravi libellum de mun. castr. totum e codice Zanchii a scriba Metelli sumptum esse. In indice scriptorum codicis D, a Metello ipso Romae a. 1546 scripta, Zanchii codex solus nominatur. Sed post titulum ipsius libelli: „Hygini Gromaci liber de munitionibus castrorum" scriptum est ipsius Metelli manu (fol. 34r supra): „ex Antonii Galesii Massae codice et Bas. Zanchi". Qvae inscriptio tamen falsa est. Neqve enim prioris possessoris nomen Galesii Massae esse potest, neqve codex Zanchii e galesiano descriptus est. Restat, ut alium qvem codicem Galesii fuisse credamus, qvi ad corrigendum adhiberetur. Sed obstat, qvod omnes correctiones in libello de mun. castr. a Metello corrigente e codice Zanchii in exemplum scribae sui intextæ sunt. Nam ne ulla qvidem lectio qvae dicitur varia invenitur. Sunt qvidem duae correctiones rubrae (*rinari* in margine ad „veteranorum" p. 69, 6 et *ec* in *subjecta* exp. rubrica p. 98, 8), sed factae alia, non Metelli manu, qvae reliqvas correctiones inseruit. His argumentis aedificium, qvod Lange in prolegomenis ad Hyginum hac adnotatione Metelli in codicem C translata nisus extruxit, prorsus evertitur. Lange gaudet (p. 23) confirmari conjecturam suam Scriverii — eadem conjectura; neqve enim dubito, qvin Scriver hoc modo

* Conjunguntur hae partes duobus signis.

** fol. 16—17; fol 15 non est scriptum. Fol. 16—17 cum fol. 9v, ubi liber de coloniis florentini codicis incipit duobus signis ⟨ conjunguntur.

ad sententiam suam perductus sit. Eratne fortasse in codice ejus n:o 105* scriptum, codicem Zanchii „e veteri sumptum“ esse? — Hic igitur est error Metelli Seqvani non modo gravissimus sed etiam manifestissimus et incuriam hominis ostendens. Ejus incuriae testimonium etiam alter error in codice palatino-vaticano praestat, ubi Metellus fragmenta qvaedam in gudiano inesse — et qvidem „vitiosissima“ — non ignorat, qvae ibi plane desunt.** Ac tamen novit editionem Turnebi, praefationem Gallandii et sine dubio pag. qvoqve 256! Incuriae testimonium id qvoqve est, qvod duobus locis *** opus Raph. Volaterrani non accurate affert. Fortasse qvartus qvoqve error recte a Mommseno ei imputatur; † fieri tamen potest, ut Colotius, qvi villam suam Treverensem statuis, inscriptionibus, manuscriptis, et relliqviis antiqvitatis omne genus ornavit †† alterum etiam codicem agrimensorium post mortem Inghiramii a. 1516 ††† sibi comparaverit. § Qvintus (vel qvantus) error Metelli in eo est, qvod de Tilio, episcopo Meldensi, ut videtur falsa tradit, de qva re infra disseram. His omnibus testimoniis adducimur, ut Metellum sine dubitatione incuriae cujusdam et indiligen-

* Blume, Feldmesser II, 9 n. 10.

** Blume, Feldmesser II, p. 32 n. 41.

*** Blume, Rhein. Mus. f. Jur. p. 185 et cod. barb. fol. 2.

† Feldmesser, II, 217.

†† Ubaldini, vita Ang. Colotii p. 23 sqv. et 55; Tiraboschi VII, 1, 251.

††† Tiraboschi VII, 1, 225 et 3, 1362.

§ Mommsen enim rem nullis argumentis confirmavit; ceterum qvod dicit Inghiramium fuisse Erasmi amicum („befreundet“ Feldmesser II, 215) aliud mihi seqvi videtur e verbis Tiraboschii: „il celebre Erasmo, che dice di aver in Roma *conosciuto* Tommaso, *da lui per error detto Pietro.*“ Res tum demum disceptatur, si potest demonstrari codicem jenensem ante a. 1527 „cis Alpes“ (= in Italia) scriptum esse, qvod fieri non potuisse Blume (Feldmesser II, p. 36) non probavit.

tiae incusemus et, si recte Mommsen * et Henzen ** eum „accuratissimum et religiosissimum“ atqve „diligentissimum“ appellunt, certe in palaeographicis rebus ei minus confidemus.

De Tilio res se ita habet. In illo exemplo Turnebi lugdunensi, qvod saepe memoravi, Metellus duobus locis se e codice Zanchii fragmenta Epaphroditi, Vitruvii, Rufi, Simplicii, Balbi et Hygini („de castris metandis“ *uno* loco) describsisse contendit, et ita natum apograhum Tilio describendum dedisse, qvi suum exemplum Turnebo traderet. *** In palatino-vaticano codice idem fere dicit nisi qvod unde hauserit, non narrat. At qvae supra enumeravi fragmenta ut ad calcem codicis D adnexa sint, fieri non potest, qvia hic codex nullo mutilationis vestigio in fine viginti folia habet, in qvibus nihil scriptum est, et index argumenti eum integrum significat et absolutum. Si igitur alterum apographum Metelli statuamus, qvod Tilio describendum ille commodaverit, id sine dubio fuit integrum et perfectum exemplar codicis Zanchii. † Nam qvominus Metellum qvae in D codice non erant descripsisse et utrumqve codicem Tilio tradidisse existimemus impedit praeter alia forma singularis: “meum codicem“. At non est veri simillimum eum bis Balbum et Hyginum de castris metandis descripsisse; qvamqvam hoc argumento non valde niti possumus. Descripsit enim Metellus, etsi, ut ipse in barberino codice adnotat, fragmentum „de ponderibus et mensuris“ ea caussa omittit, qvod alibi

* Ephem. epigr. I, 68.

** C. I. L. VI, IX.

*** Blume, Feldmesser II, 14.

† Qvod ea qvoqve re perspicuum est, qvod ex hoc pseudotiliano codice Turnebus affert scripturas varias operum agrimensoriorum, qvae *et codici D et illis fragmentis, qvae affert Metellus* desunt: ut legis Mam., Hyg. de const. lim., Sic. Flacci cet.; cfr etiam Turn. p. 256: „Praeterea autem“ etc.

cum Euclide et Boetio haberet, hoc ipsum fragmentum (p. 373, 20—376, 13 L)in extremo codice suo integrum „ex libro qvodam manuscripto recenti cardinalis Carpensis"! Nihilo minus aliis caussis adducor, ut Metelli exemplar codicis Zanchii integrum nullum fuisse credam; praeterqvam qvod is codex qvod sciamus nusqvam extat. Considerantem qvae de codice suo Metellus narrat primum offendit, qvod duobus tantum locis mentio fit libelli de munit. castr.; deinde qvod in sollemni, ut ita dicam, enumeratione eorum qvae e Zanchii codice descripsit, *ea ipsa*, qvae nominavit Galland, Metellus qvoqve affert atqve etiam unum scriptorem incuria omittit; postremo — qvod gravissimum est — in utraqve ipsius manu scripta enumeratione eodem modo erravit ac Galland, qvi ex una eademqve persona: „Betrubio Rufo" duas, Vitruvium et Ruffum fecit. Haec mutatio codicis arceriani scripturae et Gallandii et Metelli, qvae sine dubio neqve in exemplo Zanchii neqve in pseudo-tiliano apographo fuit videtur mihi evidenter probare, Metellum non jam recte meminisse, qvae scripta codicis Zanchii descripsisset, sed cum inter scriptores, qvos Galland enumeraverat, Balbum et Hyginum (de mun. castr.) reperiret, reliqvos qvoqve se descripsisse opinatum esse. Pessima tamen ratio est nominis Tilii. Nam Gentianum Hervetum, non Tilium novum codicem editoribus parisiensibus tradidisse apertissime Turnebus vel Galland testatur (p. 256); qvam „repugnantiam" Blume * solvere studet, cum posteriore loco dicit: „Hervetus verweilte länger in Italien, als Tilius, denn er begleitete den Cardinal Cervini auf das Tridentinar Concilium; Tilius mag ihm also das Detail der Arbeit überlassen haben und Metellus mogte es für genügend halten den berühmteren unter den beiden Franzosen zu nennen." At eodem jure dici potest, editores

* Feldmesser II, 33 et Rhein. M. f. Jurispr. VII, 188.

parisienses „celebriorem illorum Gallorum“ nominare debuisse. Puto eqvidem, id qvod simplicissimum est, Gentianum Hervetum, cum Romae versatus codicem Zanchii descripsisset, hoc exemplar editoribus parisiensibus dedisse. Res igitur ad Tilium nihil pertinet. Hoc etiam credo, „codicem Herveti,“ cujus scripturas Turnebus in extrema parte editionis suae tradidit, codicem esse parisinum n:o 7229 (apud Montfauconium, bibl. biblioth. n:o 1182). Jam Blume * adnotatione marginali, qvae eadem et in vaticano et in parisiensi codice invenitur („hoc additum aliis libris puto adulterum“) e codice Zanchii parisiensem esse descriptum demonstravit. Hoc probat etiam titulus: „Sexti Julii Frontini liber de coloniis sive liber Augusti Caesaris et Neronis,“ qvi titulus sine dubio, ut docet codex D, in vaticano est. Qvem ubi Zanchi invenerit, non patet; forsitan eum finxerit vel ob rem pusillam in Frontini nomen inciderit, ut subscriptionem codicis arceriani: de divisionibus agrorum in eam, qvae vulgo fertur: de munitionibus castrorum mutavit. Laudat sane Galland Hyginum de castris metandis, non de munitionibus castrorum, et catalogus codicum man. bibl. reg. Par. ** eodem modo habet: „Ejusdem (= Hygini) gromaticus sive liber de castris metandis,“ sed hoc nihil aliud probat, nisi qvod Hervetus ineptissimum et forma plurali mirabilem titulum in alium aliqvo certe meliorem et jam a Volaterrano (paullum mutatum) receptum correxit. Nullius momenti est, ut recte Blume *** monuit, qvod catalogus parisiensis † illum

---

* Feldmesser II, 473.

** Tom. IV, p. 329.

*** Rhein. M. VII, 201.

† In qvo parum interest saeculo plus vel minus statui; ut qvi seqvitur codex (n:o 7230) Vegetii pro decimo in novum saeculum transpositus docet (Lang, praef. ad Veg. p. XIII.)

codicem saeculo posteriorem esse statuit et argumentum brevius indicat. Comparatione particulae, qvam tradit Turnebus (p. 256), et codicis vaticani (p. 166, 2—167, 2, L.) res jam paene disceptari potest. *

Codex Herveti postea ab Aem. Ranconneto ex codice qvodam agrimensorio secundae classis ** „emendabatur"; videtur etiam (id qvod jam Rigaltius (Auctores fin. regundorum Nic. Rigaltii notae a. 1614 p. 149 = Goesius, rei agrariae auctores a. 1674 p. 283) animadvertit; significat enim sine dubio codice primo editionem Ranconneti) correctionibus ejus propriis sine codice plane depravatus esse. Hunc a Ranconneto correctum librum eumdem esse atqve Herveti hoc modo demonstratur; qvod longius perseqvar, qvia Blume in his rebus non mediqcriter erravit. Rigaltius tres *** codices agrimensorios e bibliotheca Memmii editioni suae adhibuit. Unus e tertia classe ab eo idem esse dicitur, qvem olim e vetere codice (ut videtur, non florentino; cfr. „praecedentia illa" apud Rigaltium l. l.) descriptum † episcopus Fabr. Varanus possederat. †† Est codex parisinus 3359. †††

---

* Cfr. Blume, Rhein. M. VII, 188.

** Codicem secundae classis fuisse probant liber diazographus a Ranconneto additus, qvi tantum in codicibus hujus classis invenitur (Rig. p. 105 = Goes. p. 260) et haec verba: — „liber Siculi Flacci de conditione agrorum ab eodem emendatus *ut ab Adriano Turnebo est editus.*" Editio Turnebi, ut omnibus notum est, ex codice Gudiano est impressa.

*** Huic numero non repugnant Rigaltii verba (p. 149), ut qvis e Blumii verbis colligat (Feldmesser p. 61); nam illa sunt: "in duobus Memmii codicibus reperi — — in eorum altero — In altero — — —.

† Blume, Feldmesser II, 60.

†† Hic qvoqve codex dignus esse videtur qvem qvis diligenter perscrutetur.

††† Cat. mss. bibl. reg. III, 408.

Alterius codicis memmiani, qvem Blume * cum tertio confundit, infra fiet mentio. Tertium memmianum librum, ex qvo Rigaltius sine dubio „Aggenum de controversiis“ ** descripsit, primae classis fuisse, omisso etiam testimonio in nota ** allato, certum est. Est enim in hoc memmiano libro titulus: „Inc. lib. Balbi ad Celsum. Expositio et ratio omnium formarum“; *** desunt autem verba: „inter eos“ (L 91, 8), (qvae in codicibus et secundae et tertiae classis inveniuntur,) et: „aut lapidum“ (p. 97, 12 L); contra secundam classem in illo sunt: „signis rectis (p. 99, 5), instructuras“ (p. 97, 12). Interdum vero Rigaltii scripturae variae codicis memmiani non cum prima classi consentiunt, ut p. 93, 8 L, ubi codices V et J perverse exhibent: „et septentrionalem plagam annua vice transire.“ Neqve tamen alius „codex memmianus“ intellegi potest, qvod illa scriptura varia, non addito „altero“ ad codicis nomen, inter alias cum prima classi congruentes media est. Omnino Rigaltius unum codicem memmianum proprie usurpasse videtur; duo reliqvi, singulis singuli locis, fortuito fere memorantur. Illae discrepantiae hujus codicis memmiani et reliqvorum codicum primae classis facile explicantur, si tertius memmianus idem ipse codex est, qvem Ranconnetus ex secunda classe et suis ipsius additamentis correxit. Hoc manifestissimum est exemplo supra allato: „ad septentrionalem plagam" e secunda classe manaverunt et duo ablativi: „annua vice" sunt correctiones Ranconneti ipsius. In Bredowii epistulis parisiensibus anni 1812 Hase hunc tertium memmianum codicem eundem atqve parisinum 7229 esse

* Feldmesser p. 31 n. 36.

** „hactenus ineditum eadem bibliotheca et scidae aliae ex Arcerii codice“ (mirum est haec tria verba a Blumio, Feldmesser II, 31 n. 36 omissa esse).

*** Goes. p. 232.

confirmat.* Neqve ille alter codex primae classis, qvo usus est Rigaltius, potest esse, qvia is ex arceriano codice ipso erat descriptus,** qvod in parisinum non qvadrat.*** Et Rigaltius, qvantum ejus verbis credamus, tres tantum codices primae classis habebat, e qvibus tertius, Scaligeranus etiam nunc Lugduni Batavorum servatur. Codex enim Herveti, qvem separatim memorat, Rigaltio nullus fuit, ut jam Niebuhr † et Blume †† intellexerunt; ego qvoqve rem denuo pervestigans ne unam qvidem scripturam „codicis Herveti" apud Rigaltium inveni, qvae non sit etiam in „var. lect. annotationibus" Turnebi.††† Recte igitur dicit Blume (l. l.): „dass ferner der codex Herveti und codex Memmii von Rigaut immer als zwei verschiedene Handschriften angeführt werden, beseitigt sich dadurch, dass er unter dem ersten Namen nur die Varianten der Pariserausgabe von 1554 wiederholte, deren wahre Qvelle er also nicht errathen hat." Qvae res etiam ex eo manifeste seqvitur, qvod eo ipso loco, ubi scripturae variae „epistulae ad Celsum" in editione Turnebi desinunt, (contextus verborum hic usqve ad p. 94, 16 L. procedit) a Rigaltio non jam codex Herveti, sed memmianus solus in notis commemoratur. Et tamen scimus codicem Herveti ante annum 1554 scriptum e codice esse sumptum, qvi ex integriore arceriano descriptus est.

* p. 211: Nicolaus Rigaltius — ex altero qvodam, sed manco et recenti omninoqve pessimo exemplari, qvod ex nostro (i. e. arceriano) antiqvo, *ut videtur*, derivatum in Bibliotheca Parisiensi servatur n:o 7229 inter codices latinos."

** Rutgersius, var. lect. I, 11.

*** Etiam differentia scripturae inter codicem hervetianum et arcerianum, qvam Blume, Rhein. M. f. Jur. VII, 188 memorat, huc pertinet.

† Röm. Gesch.[1] II, 549.

†† Rhein. Mus. f. Jurispr. VII, 199.

††† Ceterum Rigaltius temere ac fortuito scripturas et Herveti codicis et Memmii enumerat.

Ubi est exemplar Tilii? Nusqvam qvod sciam extat. Nihilne fortasse Tilius e codice aliqvo Metelli descripsit? Fieri potest. Metellus non dicit se codicem Tilii e suo desumptum vidisse, sed videtur opinari eum, cum ei codicem suum „legendum" vel „describendum" dedisset, hujus codicis exemplar fecisse. „Tractatum de mensuris", qvem memorat Rigaltius * pertinere putes ad „mensuram rationabilium agrorum" codicis D (fol. 24), ex qvo Tilium codicem suum descripsisse; sed qvod additur et a Blumio ** post vocem: „descriptis" omissum est, hoc fundamentum prorsus evertit. Sunt enim haec verba: — „eumqve tractatum, qvi in editione Turnebi ad calcem deerraverat aut potius fugerat, retraximus". Ille „tractatus" revera invenitur in appendice editionis Turnebi (pp. 11—17), sed est fragmentum „de ponderibus et mensuris" (pp. 371—376 L.), qvod in nullo codice agrimensorio primae et tertiae classis extat vel potius primitus additum et proprium est. Si Blume hunc locum editionis Turnebi inspexisset, multa aliter atque exposuit de his rebus tradidisset. Duobus tantum modis, si recte vidi, hunc codicem memmianum expedire possumus. Statuere debemus aut eum codicem fuisse, qvem Boetium, Euclidem et fragmentum de ponderibus et mensuris continuisse adnotatio marginalis Metelli in codice barberino docet, ***

* pag. 6 = Goes. p. 210.

** Feldmesser p. 31 n. 36.

*** Metellus in codice D (fol. 32r): „Subseqvitur fragmentum de ponderibus et mensuris, nulli auctori adscribtum; nisi Junium Nypsum faciamus; qvod hunc librum seqvitur (est „M. Juni Nipsi opusculum fragmentatum"), vel potius Balbum. Hunc ·n· (enim) de nominib. mensurar. scripsisse in Bobio civitate, Volaterranus affert. Illum igitur librum alibi habemus una cum epitome Geometriae Euclidis et Boetio, in extremo 46. Principium libri est PONDERVM PARS MINIMA CALCVS finis vero O LITTERA CONIVNCTA KENIX EST. Deinde in fine sic: — —

atqve aliqvo modo Parisios pervenisse (fortasse per Tilium) aut vero exemplar e codice barberino sumptum. Nam hic qvoqve est illud fragmentum de ponderibus et mensuris „ex libro qvodam manuscripto recenti Card. Carpensis“ * descriptum. Codicem non fuisse Angeli Colotii „vetustissimum exemplar“, sed „recentem Card. Carpensis“ aut Tilius aut fortasse Rigaltius non animadvertit. Hoc si statuimus, facilius explicari potest, qvomodo Metellus in errorem suum inciderit. Tum etiam Tilium aut Rigaltium errasse manifestum est, qvia illud fragmentum e florentino codice Metellus numqvam descripsisse videtur. **

Nunc de codice arceriano pauca exponam et qvae Blume de eo disseruit aliqva ex parte, ut spero, corrigam. Nemo dubitat, qvin folia 125—157 codicis arceriani paulisper e reliqvo codice refixa et seorsim consuta fuerint. Qvando autem revulsa et separata sint, in diversas sententias disceserunt Lange *** et Blume, † qvorum uter recte existimaverit, non difficile est dijudicare. Qvae de Rigaltio et Keuchenio Blume (p. 8) affert, ad revulsionem illam nihil pertinet. Si notam Rigaltii, †† ubi scripturam variam ex „Arcerianis fragmentis“ protulit, legisset, haec duo verba sane non ad ipsum arcerianum codicem, qvem ille nihil nisi auditu („nur von Hörensagen“) novit, rettulisset. Omnino jure negamus „arcerianis fragmentis“, „arcerianis scidis“ vel talibus vocabulis revulsionem codicis in duas partes significari; ††† id qvod ex eis non magis efficitur qvam „codex memmianus“ integer

* de eo vide Mommsen. Berichte der säch. Ges. der Wiss. a. 1850 p. 294; Eph. ep. I, 68—73, 77.

** cfr. Blume, Rhein. Mus. f. Jur. VII, 224.

*** prol. ad. Hyg. p. 17.

† Feldmesser p. 9.

†† Goes. p. 215: Arboribus notatis] Arcer. fragm. Arbores notatas (Sic. Fl. p. 138, 195 s.)

††† cfr, Feldmesser p. 31 n. 36.

neqve unqvum mutilatus codex fuerit necesse est. Illa vocabula recte ad mutilationem codicis arceriani a Mortaignio possessore qvodam ejus ante a. 1559 susceptam revocantur. Ac si Keuchen alteram separatam partem codicis arceriani significasset (neqve potius aliqvem codicem tertiae classis, qvem Arcerius possederat), certo non solum „alterum arcerianum" eum non appellasset, sed etiam minime pateret, qvomodo „Heimbachius Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius ac Historiographus" paullo ante a. 1661 posteriorem partem codicis arceriani suppeditare potuisset. — Altera etiam est ratio qvare Blume falso judicaverit, qvod Scriver, si Pontano codicem sibi commodatum misisset, nullo modo in ipsum primum folium significationem possessoris („Petri Scriverij") inscripturus fuerit, neqve omnino est veri simile, Joannem Arcerium vel heredes ejus partem tantum codicis sui vendidisse. Deniqve consentaneum est, ei qvod Scriver a. 1607 dicit, Joannem et Sixtum Arcerium se in edendo Hygino juvisse, non multum tribui posse, qvia, ut par est, jam ante a. 1604 Scriver usus est auxilio patris, qvod sine dubio in eo erat, ut hic codicem suum antiqvum usurpandum traderet. Hoc officium etiam a. 1607 filius contulit in Scriverum, qvi a. 1607—1621 demum codicem proprie suum ab illo acqvisivit. Certe ita res se habere potuit; et hoc qvoqve modo confirmatur. Anno 1560 „coloniae" sub nomine Frontini Romae e codice Zanchii typis exscribebantur. Blume ad hanc editionem codicem et primae et tertiae classis esse adhibitum putat,* sed ignorat jam Zanchium colonias Frontino attribuisse; et qvod ea editio non continet plus qvam codex Zanchii vel arcerianus,** pro certo fere habeo neqve codicem tertiae classis esse

* Feldmesser pp. 28, 76.

** Feldmesser p. 28 n. 33ª 1.

adhibitum et editionem romanam, cum in codice arceriano Frontinus auctor coloniarum non appelletur, e codice Zanchii esse descriptam. A. 1588 Lutetiae Par. nova editio coloniarum in publicum prodiit, qvae romanam repetivit * et secundum nullius pretii librum (pp. 252—262 L.) ex editione Turnebi addidit. Anno autem 1607 Scriver, cum Frontini libros ederet, parisianam editionem iteravit fragmenta qvaedam coloniarum et unum de limitibus, illa e vetere codice membranaceo Nansii, hoc, ut videtur, ex eodem codice ** adiciens. Itaqve siqvidem Scriver se fragmentum „in duobus antiqvissimis, sed mendosissime scriptis codicibus“ invenisse contendit et arcerianae scripturae ad marginem inveniuntur, mihi qvidem maxime sane videtur probabile, Scriverum eas scripturas varias ex arceriano codice ipso hausisse, qvod ad hoc tempus hic unus et solus codex „antiqvissimus“ primae classis est et verba ejus eo spectant, ut codice ipso usus sit. Neqve mireris, qvod coloniarum nullae scripturae varietates arcerianae reperiuntur: est enim jam in editione romana vel parisiana, qvam Scriver recepit, codex Zanchii adhibitus. Qvam ob rem ea nulla ratio est, cur Arcerios exemplar fragmenti de limitibus Scrivero misisse ponamus. His omnibus rebus adducor, ut Langii opinioni *** adsentiar, Scriverum a. 1621, codicem, cum Pontano mitteret corrigendum, divisisse. Postremo contra Blumium † adnotatum volo, Keuchen'ium „altero arceriano“ ea de caussa non esse usum, qvod scripturae ejus in contextum ipsum receptae erant. — De alio codice etiam contra Blumium mihi di-

* Scriver, Fl. Vegeti Renati comitis — — — de re mil. libri a. 1607 p. 185 sqv.

** Blume. Feldmesser p. 58.

*** prol. p. 17.

† l. l. p. 28.

sputandum est. In libro, qvem saepissime memoravi: Feldmesser (II, 58) monet, ut codicem membranaceum Nansii et ejusdem viri codices primae qvartaeqve classium ne confundamus: ita enim Langium („praef. ad Hyg. pag. VII") fecisse. Hoc apud Langium non inveni; certissimum vero est Blumium ipsum illos codices confudisse. Nam „parvula discrepantia", qvam in codice Nansii primae classis invenit, * manifestissime ad codicem tertiae classis ** pertinet; qvam ob rem Rigaltium non modo tribus memmianis codicibus, sed etiam duobus nansianis usum esse apparet.

Anteqvam huic dissertationi de codicibus agrimensoriis primae et tertiae classium finem inponam, de codice vaticano 3132 ad supplendum qvod Blume disputavit pauca addo. Post mortem Zanchii a. 1558 vel 1559 *** qvas subierit codex vicissitudines fortunae, haud accuratius cognovimus. Cum autem generis cujusdam cardinalis † insigne, qvod in codice vaticano juxta familiae Boncompagnorum est, †† in libro, qvi inscribitur: „Fasti Cardinalium omnium sanctae romanae ecclesiae cum stemmate Gentilitio cujusqve cardinalis etc. auctore Palatio, Venetiis MDCCIII", investigarem, unum solum inveni, qvod ad Blumii verba qvadraret. Insigne est cardinalis Sirleti. Huic viro a. 1514 nato cardinalis Cervinus (postea papa Marcellius II) valde favebat; post morten Pii IV candidatus pontificiae dignitatis in eam non receptus est, qvia „studiis totus intentus" erat; deinde praepositus est apostolicae bibliothecae. Pro-

* Feldmesser II, 39 n. 56.

** Ad. p. 239, 16 L. enim Rigaltius adnotat (p. 92 = Goes p. 253): liber Nansii: jure templorum ab Augusto censita.

*** Blume, Feldmesser II, 15; 63.


† Insigne *cardinalis* esse *debere*, non posse contendi mihi videtur; cfr. Ubaldini, vita Col. p. 7 de Colotii insigni.

†† Blume, Feldmesser II, 35. Alterum insigne, etsi deest cauda draconis, Boncompagnorum esse docet Palatii qvoqve opus.

pter doctrinam eruditionemqve illustrissimus et celebratissimus dicitur „innumeras lustravisse bibliothecas suamqve ita auxisse, ut inter privatos toto orbe praecederet“ * A. 1585 d. 8 Oct. mortuus est, postqvam vaticanae bibliothecae libros suos legavit, qvi „defensioni aut ornamento sedi esse possent. ** Sine dubio is inter Zanchium et bibliothecam vaticanam codicem possidebat, qvi huc ex illius bibliotheca pervenit. Fieri etiam potest, ut Blume recte conjecerit codicem vivo Gregorio XVII illuc pervenisse, qvamqvam hic papa jam paullo ante Sirletum (a. 1585 d. 10 Apr.) decessit. E codice Sirleti, fortasse ejus consilio editio romana Frontini (1560) edita est. — Postremo indicem codicum, de qvibus disputavi, infra pono:

* cfr. Tiraboschi, VII, 1, 389—391.

** de eo v. etiam Muretum, lib. 18, Hosium, ep. 168.


Archet.
I Class.
III Class
Arcerianus (A)
Vat. 3895 (cod. Gal. Mas)
Mut. (M)
Erf. (E)
Med-flor.
Memm. I (cod. Var.)?
Jenens. (J)
Nans.
Scalig.
Arc.²
Vatic. 3132 (V).
(cod. Zanchi)
Volat.
Barb. 1546
[illegible]
B
Paris, 7229
= Memmian. III
(cod. Gent. Herv.)
C.
Memm. II
(cod. Tilii)?
Var. lect. Turn.

Qvod ad tempus pertinet libellus de munitionibus castrorum? A qvo scriptus est? Qvaestiones sunt difficiles, de qvibus vix accurate respondi potest.

Primus Lange de hoc libello bene meritus illas qvaestiones dirimere conatus est. Sed de tempore sine dubio non recte judicavit et de auctore prorsus erravit, in utraque re falsis argumentis usus. Codices B et C ex arceriano emanarunt, ut nomen Hygini non sustineant, et hic codex subscriptionen: „Liber Gromaticus Hygini de divisionib. agrorū explicit. inc. lib. hygini gromaticus . . . de constitutionibus limitum" praebet; * qvae subscriptio qvemadmadum facta sit, Lange etiam perverse transpositione qvadam foliorum ** explicavit, ut jam A. Gemoll *** exposuit. Neqve tamen Gemoll ipse hanc subscriptionem explanavit, qvamqvam haud longe repetenda esse videtur explicatio qvae satisficiat. Si subscriptiones legis Mamiliae in utraqve parte codicis arceriani adspicias † eas ita esse natas manifestissimum est, ut in codice aliqvo antiqviore, e qvo manavit arcerianus

---

* G. Gemoll ed. Hyg. p. 38.

** Prol. p. 36.

*** Hermes XI, 165.

† expl. kygyni gromatici constitutio feliciter, A.; liber hygini gromaticus exp., B.; post „constitutionem" autem, qvae praecedit, nulla est subscriptio in Arcer. AB; sed in Gudiano codice, qvi ex alio fonte fluxit, haec est: Explicit Liber Hygeni Cromaticus.

liber, „constitutio“ Hygini et lex mamilia conjuncte scriptae essent, qvam ob rem subscriptio „constitutionis“ post legem mamiliam demum esset posita; in codice autem, e qvo fluxit gudianus, constitutionem solam fuisse subcriptione aut adjecta aut deficiente (potest enim postea addita esse). Eodem modo subscriptionem: „Liber Gromaticus Hygini de divisionib. agrorū explicit” natam esse verisimile est. Qvemadmodum classes codicum agrimensoriorum, qvas recte disposuit Blume, extiterint si volumus intellegere, jure existimamus codices principales e multis et diversis fragmentis conpositos esse, qvae in unum conqvisita et collecta sint. Qvi autem scripta codicis arceriani primus conglutinavit, nihil operis cujusdam Hygini, qvod „de divisionibus agrorum“ inscriptum erat, invenit nisi subscriptionem, qvae in fine alterius operis adhaerentis extabat. Illud opus Hygini „de divisionibus agrorum“ continuavit (v. p. 117, 12 sqq L.) primum „de constitutionibus limitum;“ * tertium fortasse erat „de controversiis agrorum“, ut materiae dispositio eadem esset atqve in fragmentis Hygini qvi a Lachmanno senior appellatur. ** Si res ita se habuit, facilius explicatur, cur et initium opusculi de castrorum metatione desit et fragmenta quaedam mathematica, qvae ex opere proprio aberraverunt, ante fragmentum de castris inveniantur. Haec enim mathematica fragmenta sine dubio ut verba inania *** ab eo qvi primus codicem arcerianum B colligebat, describeban-

* Hic qvi codice arceriano fulcitur titulus verus fuisse videtur, ut docent p. 173, 6 et 178, 10. Alter titulus codicis arceriani: „constitutio“ vix principalis est, qvod nimis sola extat.

** Frontinus qvoque res agrimensorias ita in opere suo disposuisse videtur, cfr. p. 64, 11—18 (aliter Lach. p. 113 et Rudorff Gr. Inst. p. 231). Eratne tertia pars p. 35, 13—58, 22 (cfr. Lachm. p. 118; pp. 10, 19; 54, 11 vix obstant)? Perverse Hultsch (Ersch u. Gruber, Enc. vol. 92 p. 99).

*** fr. O. Jahn. Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. a. 1851 p. 328.

tur, qvod forte ea ante fragmentum de castris repperit. Ceterum qvam talibus subscriptionibus confidere non possimus, inqvirenti rem mox patet. „Epistula ad Celsum" in arceriano codice Balbo cuidam attribuitur, in gudiano et palatino, qvi sane tribus saeculis recentiores sunt, sed ad alium fontem pertinent, Frontino, qvem etiam arcerianus — id qvod gravissimmum est — paullum mutilatum sine dubio in subscriptione habuit, qvod et jenensis et vaticanus liber hic eum praebent. * Magis autem ad illustrandam qvam demonstrandam rem affero adnotationem marginalem Metelli in codice D (v. supra p. XX not. ***): „subseqvitur fragmentum qvoddam de ponderibus et mensuris, nulli auctori adscribtum, nisi *Junium Nypsum faciamus, qvod hunc librum seqvitur.*** . Qvae cum ita sint, auctorem libelli de castris metandis certo statuere nullo modo possumus. — At vero fragmentum de castris particula est operis de divisionibus agrorum aut Hygini aut alius cujusdam. *** Qvae conjectura, simplicissima qvidem, falsa est, qvia minime est probabile in opere qvod est de divisionibus *agrorum* fuisse descriptionem castrorum *aestivalium,* † praesertim cum munitio qvoqve eorum explicetur. Praeterea si Hyginum auctorem, de qvo valde dubitari potest, nos statuimus, seqvitur, ut dimidium solum subscriptionis probemus, dimidium reiciamus. Et A. Gemoll, ut sermonis usu Lachmanni sententiam contra Langium egregie confirmavit, duos fuisse diversos auctorem libri „de limitibus" et auctorem operis qvod est „de constitutionibus limitum", †† ita id qvoqve probasse videtur, non eundem esse

* Habet etiam codex barberinus (D): Explicit liber Frontonis.

** de re v. Hultsch, Metr. script. II, 137 sqv.

*** cfr. Rudorff, Gr. Inst. p. 290 fin.

† de mun. castr. cap. 45, 48.

†† Langii argumenta Teuffel in tertia ipsa editione libri: Geschichte der römischen Literatur (p. 801) rata esse voluit. Cantor (die

eum, qvi aut „de limitibus“ aut „de constitutionibus limitum“ scripserit, atqve auctorem libelli de castrorum munitionibus. — Qvod ad id, qvomodo hic libellus ab auctore inscriptus sit, attinet, de eo nihil dici potest certi. Titulum: „de munitionibus castrorum“ Zanchium finxisse, nunc inter omnes constare opinor. Qvem A. Gemoll * proposuit, „de compositione et munitione castrorum aestivalium“, is comprobari non potest, qvia auctor, si ita inscripsisset, non sic dixisset, ut est in cap. 22 libri de mun. castr. Qvae elocutio si cui (non mihi) altera simili p. 94, 3 sqv. L. confirmari videtur, certe dispositio partium posteriorum obstat („munitio castrorum“ — „soli electio“ — „ars iniqvitates locorum vitandi“). Titulus fortasse erat: de castris vel de castris aestivalibus. **

De tempore, qvo scriptus est libellus, qvaestio est difficilior. Qvod Lange verba domine frater (p. 94, 4 cap. 45) in domine Trajane mutavit, per se non tanti est, ut refutetur necesse sit et H. Droysen *** eam appellationem tempore Frontonis usurpatam esse monstravit. Venit Langio in mentem etiam vocabuli imperatoris, „qvae appellatio eo tempore satis usitata erat“, sed illam emendationem minus audacem, † qvippe qvae „propter literarum ductus difficilior“ esset, rejecit. Tamen extant in ipso libello vestigia, e qvibus aliqvid de tempore vel potius de temporis spatio colligere possimus. Licet enim primum contendere, eum non

---

röm. Agrim. p. 97) similiter libellum de castris Hygino Trajani aeqvali assignat. Sed Cantor neqve philologus neqve historicus scriptor in talibus rebus facile errare potuit.

* Hermes XV, 247 not.

** cfr. p. 78, 14; 94, 1 cum p. 92, 6: 7; 94, 3.

*** Rh. Mus. a. 1875 p. 469.

† Haec qvoqve emendatio falsa est, ut docent verba: imperatoris nostri (p. 72, 5; 85, 5 L).

post id tempus scriptum esse, qvo erat Gallienus imperator orbis terrarum. Summi duces legionum in eo significantur legati (cap. 15), qvi Gallieno imperante legionibus praepositi esse desierunt. Qvam rem iterans * paullo longius perseqvar, qvod nuper Guil. Foerster in museo rhenano ** eam jam exploratam et perspectam evertere vel labefactare conatus est. — Si perlustramus inscriptiones, *innumerabiles* legatos legionum invenimus neqve post annum 252 qvemqvam. Pono infra aliqvos posterioris aetatis legatos legionum: Bramb. 999 (an. 210); [Dio Cass. 79, 7 (a. 219)]; Wilm. 1217 (aliqvanto ante 237); C. I. L. VII, 222 (aet. Carac. vel Alex. Sev.); Bramb. 1060 (an. 227); Wilm. 1213 (post Alex. Sev.); *** Wilm. 1214 (eodem tempore — 237; I. R. N. 4851 (Car. — Aurel. v. Marqv. Röm. Staatsv. 1, 78 not 3; Mommsen, Feldmesser II, 195); C. I. L. III, 1019, 1020 (aet. Alexandri vel post eum); Wilm 1215 (non ante Gordianum); C. III, 1125 (a. 238—244) Bramb. 500 (a. 252). Sed post annum 252 neqve in inscriptionibus neqve apud auctores † legati legionum reperiuntur; usqve autem a Gallieno invenimus duces proprios, qvi antea non fuerunt: praefectos legionum agentes vices legatorum (a. v. l.). De praefectis legionum post egregiam Wilmansii disqvisitionem †† non jam ambigitur; de illis non item. Sunt omnino

* Henzen, Annali dell' Instit. a. 1860 p. 37 sqv.; Mommsen in Sallet'ii Die Fürsten v. Palmyra p. 74; G. Wilmanns, Ephem. ep. I, p. 102, Marqvardt, Röm. Staatsverwaltung II, 444.

** a. 1879 p. 237.

*** Qvod ad tempus hujus tituli de legatis legionum adnotavit Mommsen, inprimis titulo Wilm. 1215 = Orell. 3143 refellitur; cfr. etiam Dessau Eph. ep. 3, 1.

† Qvi apud Aur. Vict. Caes. 35, 9 nominantur nihil nisi nuntii sunt a legionibus ad senatum missi.

†† Eph. epigr. I, 81 seqv.

qvattuor (C. I. L. III, 3424 = Wilm 1029 an. 267); 4289 (a. 269); 3469 (a. 284); 3425 (anno incerto *), e qvibus trium tempus determinari potest inter ann. 267—284. Manifestissimum mihi videtur non forte evenisse, ut ne unus qvidem legatus legionis post a. 252 existeret in inscriptionibus; praefecti autem legionum a. v. l. *omnes* qvi inveninntur *post* hoc ipsum tempus. Qvam rem si cum testimoniis Aurelii Victoris, ut dicunt, qvi ex melioribus fontibus hausisse videtur, componimus, facile explicare possumns. Narrat enim haec: ** „Et patres qvidem praeter commune Romani malum orbis, stimulabat proprii ordinis contumelia. Qvia primus ipse (Gallienus), metu socordiae suae, ne imperium ad optimos nobilium transferretur, *senatum militia vetuit, etiam adire exercitum*". — Qvibus ex rebus seqvitur, nomine legatos legionum post edictum Gallieni mansisse, id qvod significat additamentum: „agens vices legati", re sublatos esse et praefectos legionum a caliga promotos in locum legatorum legionum, *** qvi, ut legati omnino †, viri senatorii erant, successisse. Postea, ut docet index not. dign. p. 133 Böck., illo additamento omisso, praefecti legionibus praeponebantur. Ita id institutum militare simpliciter progressum est. †† Ac si legati jam revera sublati erant, nullo modo summi duces legionum a scriptore libelli de castris legati potuerunt significari, sed erant nominandi praefecti legionum a. v. l. Praeterea contra Foersterum haec moneo.

---

* Sine dubio nemo demonstrabit T. Flav. Vict. praes. II ad., qvi hic memoratur, eundem esse atqve [F]l. Victor. 7 leg. I adj. p. f. (anno 173).

** Caes. 33, 33 sqv. p. 405 ed. Arntzen.

*** cfr. Veg. II, 9.

† paucis admodum exceptis ut I. R. N. 2124.

†† cfr. Wilmannsium Ephem. ep. I, 102.

Primum sibi non constat, cum inscriptionum testimonium non curans de Wilmannsii disputatione tamen haec dicit: * „si qvid his in rebus potest vinci Wilmanns mihi sane videtur probasse praefectum castrorum et praefectum legionis non fuisse tempore eodem". Nam argumentatio Wilmannsii plane eadem est ac de legatis, nisi qvod huic qvattuor praefecti legionum, qvi ante Sept. Severum memorantur removendi erant; item expositio Vegetii (II, 9, 10) nihil tali ratiocinationi de legatis obstat. Deinde perverse pro se affert Vegetii locum (II, 9) etiam disjunctis litteris, qvamqvam probe non ignorat, Vegetium, cum a Sept. Severo usqve ad Gallienum legatus legionis et praefectus legionis simul essent, et hoc tempus significare et praefectum legionis pro praefecto castrorum legionis, ut Tacitum Hist. I, 82 dicere potuisse et omnino se testem adhibere, qvi "legatos imperatoris ex consulibus ad exercitus mitti" in eodem capite contendat. Postremo cum Foerster e Vict. Caes. 37, 6 colligit, edictum Gallieni a Tacito, altero Nerva, aliove sublatum esse, prorsus errat. Nam ex vulgari genere dicendi verba: „qvippe omisso — — legionibus" hypothetice, ut dicitur, intellegi possunt atqve ita qvidem intellegenda sunt, qvod seqvuntur: „neqve Florianus invasisset amplissimo ac tanto ordine in castris degente (i. e. si degeret vel degisset). Alia est qvaestio, accuratene dixerit Victor necne. Haud scio an recte de hac re jam Tillemont ** judicaverit: „Les Senateurs eussent aisément fait casser la loy de Gallien par Tacite ou par Probe. Mais s'estant accoutumer avec le temps à ne la plus regarder comme honteuse, ils commencèrent mesme à la trouver commode parceq'elle les mettoit à couvert des

* „de fide Flavii Vegetii Renati a. 1879 p. 21.

** Hist. des empereurs III, 320.

seditions si ordinaires dans les armées". — Sed inest in edicto Gallieni plus qvam qvod supra proposui. Et consentaneum qvidem est praeceptum imperatoris ad alterum qvoque gradum militiae majorem pertinuisse, qvem obtinebant viri senatorii, si asseqvi is voluit, qvod intendebat. Vetuit enim Gallienus senatum omnino „exercitum adire". Qvibus verbis si credimus — cur autem dubitemus, vix qvicqvam habemus — statuendum est, Gallienum provincias, qvas „legatorias" antea jam Alex. Severus * praesidiales plurimas fecit", *omnes* praesidiales fecisse i. e. omnium provinciarum rectores praesides instituisse — „cambiamento del titolo, che non è più l'antico di legatus Augusti, ma il nuovo di praeses, con che si vuole significare, che gli era stato tolto il comando delle milizie, lasciandogli soltanto la giurisdizione civile"** . Multi autem tituli — evidentissime Wilm. 1203a 1203b inter se comparati — demonstrant nomen praesidis etiam Caracallae et Alex. Severi *** temporibus commune et generale omnium rectorum provinciarum fuisse †. Alexandri aetate demum praesides provinciarum gubernatores imperio militari carentes significare coeperunt, et erant eodem tempore ac legati Augusti pr. pr. †† Post Gallienum autem nullus legatus Aug. pr. pr. reperitur nisi unus, ut videtur, C. I. L. II, 4102 (4103). Sed hic ad id, qvod conjeci, nihil fere valet; statuo igitur in omnibus provinciis post edictum Gal-

* v. Al. Sev. cap. 24.

** Borghesi, Oeuvres compl. V, 397.

*** Ren. 96 = Wilm. 1469.

† cfr. Mommsen, Röm. Staatsrecht 2² II, 230 n. 2. Praesidis nomen proprie tamen ad res civiles pertinere videtur, cfr. C. I. L. III, 1457, Wilm. 1208.

†† Henz. 6736 = Wilm. 755b; Ren. 90 = W. 1469; Marini, Atti 2, p. 793 = W. 1217 aet. Alex. Sev.; Ren. 101 = W. 69 an. 260.

lieni editum res ad civilia officia pertinentes administrasse praesides, res militares, ubi una legio erat, praefectum legionis (a. v. l.);* ubi erant plures, praefectos legionum suas qvemqne vel ducem, qvi eis temporibus pluribus legionibus praepositus erat. Ducis titulus jam antea extra ordinem usurpatus erat **. Qvod ad illum titulum C. I. L. II, 4102 (4103) attinet, multas habit difficultates. Primum dignitates: praeses prov. Hisp. cit. et legatus Augg. pr. pr. de eadem provincia acceptae offendunt, deinde verbum Augg. in *utroqve* titulo scriptum, cum neqve ad Carum solum neqve ad tres Augustos *** referri possit. Itaque potest fieri, ut Valentinianus alio qvodam tempore legatus Augg. fuerit (id qvod titulis Wilm. 1474 et 755 a) inter se collatis probari potest), qvamqvam temporis spatium inter hos honores permagnum sane videtur si usqve ad Valerianum et Gallienum extenditur. Qvae cum ita sint, nescio an rectius editor vol. II C. I. L. rem explicaverit. Nam statui potest, licet omnino edictum Gallieni sublatum non sit, interdum viro cuidam senatorio gubernationem provinciae cum militari imperio per gratiam imperatoris esse traditam. Eodem modo Mucianus Arretium Clementem, „qvamqvam senatorii ordinis" praetorianis praeposuit † et †† Augustus Clodio cuidam Proculo qvamqvam non senatorii ordinis legationem dedit. ††† Si rem ita se habere existimamus, altera littera g verbi Augg. errore qvadratarii

---

* cfr. Ren. 109 = W. 769a.

** C. I. L. II, 4114, Wilm. 1202; Mommsen in Salleti opere: Die Fuersten v. Palmyra p. 74.

*** cfr. Eckhel, d. num. VII, 516, Ren. 2726.

† Tac. Hist. IV, 68 cfr. vita Pert. 2,9; Mommsen, Staatsr. [2] II, 830 not. 7.

†† I. R. N. 2124.

††† cfr. Tac. Ann. XV, 28; C. I. L. III, 605.

addita Valentinianus dicitur praeses qvoqve provinciae, qvia haec proprie et primitus certe post Gallienum erat praesidialis neqve omnino provinciae legatoriae nisi extra ordinem exstabant. — Ne tribuni quidem militum laticlavii post Gallieni tempora reperiuntur. Postremi sunt Q. Petronius Melior * et C. Luxilius Sabinus ** aetate Alex. Severi. Neqve tamen omnino tribunatus legionis tum fere sublatus est, ut dicit Mommsen: *** aetate enim Gallieni fuit Justus qvidam tribunus sine dubio legionis † et tribuni militum ab Aurelio Vict. Caes. 35, 8 etiam posteriore tempore appellantur.

Gallieni edictum res ut ita dicam intestinas imperii romani apertissime illustrat et declarat. Nam nihil aliud fuit nisi ultimus ictus Imperatorum, qvo senatus, conventus optimatium, qvi semper imperio qvodammodo obstabant, ad internecionem paene veniret. Imperium enim romanum constituit C. Julius Caesar, †† qvod interfecto Caesare, qvia, ut saepissime viri summi ingenii, ad id, qvod sibi proposuerat, vehementissime praecipitaverat, confirmatum est ab Augusto, homine cautiore et providentiore; praesertim cum omnes provincias, in qvibus erat exercitus, una excepta ††† sibi assumptas viris maximam partem senatoriis illis qvidem, sed a se electis traderet. Atqve ut senatum etiam magis opprimerent, eodem consilio imperatores utebantur ac re publica libera populares: favebant eqvitibus romanis eosqve paullatim et gradatim ad summos honores extollebant. Hujus oppressionis testimonia sunt freqventissimae senatoriorum vi-

---

* Mommsen Str. [2] 1, 527, n. 3.

** Orell. 3143 = Wilm. 1215.

*** Str. [2] l. l.

† Henzen 6785 = Wilm. 1498.

†† Mommsen, Röm. Gesch. [6], III, 476 sqv.

††† Tac. Hist. IV, 48.

rorum conjurationes contra imperatores; multi qvi ut Paetus Thrasea * et Helvidius Priscus ** libero animo imperatoribus resistebant et adversabantur; *** Tiberius et Domitianus ab antiqvis et recentioris aetatis scriptoribus prorsus condemnati, qvod senatorum conatus reprimebant, † sed Nerva summis laudibus elatus, denique conatus partium senatus rei publicae liberae restituendae. Potestatem et opes senatus jam deminutas et infractas magis imminuerunt vel potius everterunt, ut supra dixi, Alex. Severus et Gallienus, cum etiam in provinciis Imperatoris imperium militare virorum clarissimorum tollerent, ut juridicis qvoqve, qvi vulgo viri praetorii erant, a Aureliano sublatis †† senatus prorsus jaceret et imperium unius hominis perfectum esset. — Credo Foersteri sententiam me satis superque refutasse. Haud scio an id qvoqve obstet, qvin eam probemus, qvod Dacorum „natio“, cujus mentio fit in libello de castris (capp. 29, 30) vix alia esse potest atqve illa expeditionibus Trajani praecipue illustris et celebrata. Et de vera gente Dacica romana post Daciam transdanuvianam Gallieni temporibus amissam ††† nihil dictum inveni (in vita Aur. 38, 4 est de exercitu dacico; „Daci mediterranei“ § notio geographica est).

---

* Tac. An. XIV. 12 et saepe.

** Tac. Hist. IV, 8, 9.

*** cfr. Tac. Hist. IV, 43, 44.

† cfr. Dierauer Beitr. z. e. krit. Gesch. Trajans in Büdingeri „Untersuchung. z. röm. Kaiserg.“ p. 209 sqv., et Peter, Gesch. Roms [3] III, 144 sqv.; et Nipperdey, Einl. z. Tac. Ann. [7] p. 33 n. 1.

†† Borghesi, V, 403 sqv.; Mommsen, Feldmesser II, 195; Marqvardt, Staatsv. 1, 78, n. 3, Orell. 3174 = Tonini Rimini av. il pr. I, n. 75 p. 364.

††† Marqvardt, röm. Staatsv. I, 156, cujus locis allatis (n. 2 Aur. Vict. 33, 3 et Eutr. 9, 8 adiciendi sunt.

§ Ammian. M. 21, 10, 3.

Recte autem Foerster (l. l. p. 241) Marqvardtii e Digestis (50, 15, 1, 5) sumptam rationem, qvare libellus de castris ad tempus ante Caracallam referendus sit, rejecit. Error Marqvardtii est manifestissimus. De re et tempore * loci Ulpiani vix dubitari potest, sed Marqvardtii sententia eo non confirmatur. Potest enim nomen gentis vel nationis, qvo utitur auctor libelli de castris, (c. 2, 29, 30) aut ad eos populos imperii romani referri, qvi exteri erant et a civitate romana maximam dumtaxat partem alieni **, aut ad omnes incolas imperii romani post civitatem eis a Caracalla datam,*** ut est a Vegetio (I, 2) usurpatum. Gentem et nationem in libello de castris plane idem significare: gentes provinciarum, pro certo paene habeo. Nam Langii conjectura: subactarii (capp. 19, 29, 43), qvae alio ducit, † qvamqvam minima correctione (cfr. Schelii emend. certam: epi*b*atis ex ebi*mm*atis, c. 29) nata est, nullo tamen modo retineri potest. Cleomenes *coriarius* subactarius †† pro ea non loqvitur, omninoqve significationem a Langio acceptam in hac voce inesse posse nullis analogiis vel argumentis confirmatur. Qvam ob rem conicio cap. 19: spectare debebunt et super suplementarias et reliqvas nationes tendere debebunt (c. 29: sup[p]lementariorum; c. 43: sup[p]lementarias et — — non plus qvam tripertitae.††† Ex ipsis numeris (c. 30) patet qvinqve retenturae nationes, qvae nominatim ab auctore libelli memorantur, non ita esse instructas ut ceterae exercitus nationes. Hac ipsa re mihi

* Fitting, ü. d. Alter der Schr. röm. Jur. p. 34 sqv..

** Cfr. etiam Rudorff, Gr. Inst. p. 376.

*** Dio 77, 9.

† prol. p. 169: „milites gentibus per ipsum belli tempus subactis imperati,“ „nationes cum Romanis foedere conjunctae,“ qvacem re non consentit p. 112.

†† Or. 4170 = W. 2553; vgl. Ren. 4111 l. 21.

††† cfr. „reliqvi“ pro „reliqv*as* 77, 9; B habet reliqv*ae*.

jam verisimile videtur, illas „nationes“ qvodammodo habitas esse pro supplementis auxiliorum.* Huc accedit, qvod illa conjectura mea non longe a litteris traditis recedit. Comparatio trium locorum, ubi verbum corruptum invenitur, docet, qvantum textus omnino tam mutilatus ** docere potest, litteras — tariae vel tale qvid extremas verbi fuisse; reliqvae: „suplemen“ — videntur (cfr. supplex, suplex etc.) varie corruptae esse. Explico et intellego verbum: reliqvae (c. 19, c. 45) ita ut significentur nationes, qvae ex omnibus nationibus vel gentibus i. e. auxiliariis alis et cohortibus enumeratis reliqvae sunt (cfr. c. 34in.). Itaqve illae qvinqve nationes vel gentes simul et supplementariae et, qvippe qvae postremae enumerentur, reliqvae sunt. De „summalariis“ Borghesii res jam pridem acta est; *** de supernumerariis G. Gemollii nihil dico nisi qvod fieri potest, ut recta sit conjectura, † etsi sane codicis „arceriani litterae nimis repugnant.“ Nam „ubi et“ pro „ut“ perversissima emendatio est. Sed sive „supplementariae“ sive „supernumerariae“ scribas, nomen „nationis“ propriam ac singularem significationem non habet a gentis significatione discrepantem.

At si qvaeras, post qvod tempus libellus necessario scriptus sit, certum habemus, eum posse exeunte demum primo saeculo vel ineunte secundo compositum esse. Nam videntur nondum paullo post qvam imperare coepit Vespasianus cohortes eqvitatae ita instructae esse ut ab auctore li-

---

* Non obstat, qvod auxilia ipsa supplemanta legionum appellantur; sed contra haud scio an conjecturam confirmet. Cfr. Wilm. 1519 lin. 19.

** cfr. meatum pro imperatum p. 66, 15; lectionum pro legionum p. 74, 12 et saepissime.

*** Lange, comm. ad Hyg. p. 169; Forcellini-De Vit s. v.

† cfr. Stewechium apud Scriverum, scr. rei mil. p. 204; Suet. Claud. c. 25.

belli describuntur,* etsi non, ut dicunt Lange (l. l.) et Marqvardt ** a Vespasiano demum institutae erant. *** Ne id qvidem fieri potest, ut ante Domitianum † vel potius Trajanum „Dacorum gens numqvam fida“ †† vel „nobilitatus cladibus mutiis Dacus“ ††† inter auxilia populi romani receptus sit. § Gravissimum autem testimonium praebent haec verba (libelli cap. 18): „Qvaestorium dicitur, qvod *aliqvando* qvaestores ibi pedaturam acceperint“, qvod qvaestores ad exercitum mittebantur usque ad annum 727 a. U., cum provinciae senatoriae et imperatoriae discernebantur. §§ Sed hoc non sufficit. Veri simillimum est ne secundo qvidem saeculo §§§ libellum scriptum esse. Qvod ad confirmandum haec tria afferri possunt. — Primum ratio cohortium praetoriarum id probat. Eas ab Augusto institutas esse inter omnes constat; qvomodo ab eo instructae sint, non item. Dio Cassius * unus de instructione tradit: decem millia militum in decem partes ab Augusto distributa esse; qvod qvin de solis cohortibus praetorianis falsum sit, dubitari non potest. Cum autem multa qvae a Dione minus recte afferri videantur saepe aliqvid veri habeant, venit mihi in mentem,

---

* Jos. B. J. III, 4, 2; I. R. N. 4636 (aet. Tib.); Tac. H. IV, 19; Lange, hist. mut. rei mil. rom. p. 59, prol. p. 53.

** Staatsv. II, 456.

*** Wilm. 1140 (904); I. R. N. 4636.

† Suet. Dom. c. 6; cfr. tamen Plin. Pan. 16 et Dierauer l. l. p. 69.

†† Tac. H. III, 46.

††† Tac. H. 1, 2.

§ cfr. Mommsen, R. G. D. A. p. 88 sqv.

§§ Mommsen, Staatsv. II², 252 sqv.

§§§ Cui rei ne id qvidem repugnat, qvod dicit Lange (prol. p. 52: „militem auctor pro pedite dicit, opposito eqvite, cum ingravescente vi et autoritate eqvitatus post Hadriani tempus miles pro eqvite dictus sit“); refellitur enim hoc multis inscriptionibus (ut Wilm. 1518).

* 55, 24.

leviorem fortasse esse Dionis errorem, et decimam partem fuisse eqvites singulares, qvos ante Neronem non fuisse Henzen * et Marqvardt ** contenderunt, sed jam Aschbach *** in dubium vocavit. † Patet tamen erroris sui nescium Dionem se fefellisse. Nam qvamqvam uno qvod sciam loco †† οἱ σωματοφύλακες pro solis praetorianis ab eo usurpantur (ceteris locis semper οἱ δορυφόροι)tamen si verba Dionis: τῶν ἐκ τοῦ καταλόγου στρατευομένων ἔξω τοῦ τε ἀστικοῦ καὶ τοῦ δορυφορικοῦ — πέντε καὶ εἴκοσιν ὄντα (στρατόπεδα) — οἵ τε σωματοφύλακες — καὶ οἱ τῆς πόλεως φρουροὶ — ξένοι τε ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, οἷς τὸ τῶν Βαταβῶν — ὄνομα — κεῖται diligentius attendimus, dubitari non potest, qvin Dio ipse hoc qvoqve loco τοὺς σωματοφύλακας pro solis praetorianis posuerit. Fieri igitur potest, ut cohortes praetorias novem ††† milliarias

* Annali dell' Instituto a. 1850 p. 11 sqv.

** Staatsv. II, 473, cum n. 2.

*** Jahrbbr. des Vereins der Alterthumsfreunde im Rheinl. XV, 199.

† Recte referuntur Dionis verba ad tempus primorum imperatorum, qvod cohortes urbanae obstare videntur (C. I. L. II, 3399 = Wilm. 950: post a. 167; Marqvardt, Staatsv. II, 467 n. 1), qvin ad aliud tempus ea revocemus, nisi etiam ad ipsum Dionis; qvem tamen qvae ejus tempore institutae essent, ad aetatem Augusti transtulisse minus veri simile est.

†† 74, 2, 4: cfr. Herod. V, 4, 8: οἱ σωματοφύλακες καὶ δορυφόροι, οὓς δὴ πραιτωριανοὺς καλοῦσιν.

††† Postea numerus militum imminutus est. Nam apparet ex argumentatione auctoris libelli (cap. 6), qva constituit pedaturam cohortium praetoriarum, non plus sexcenos homines in singulis esse potuisse: si plures fuissent, non ideo duplam pedaturam recepissent, qvod tentoriis majoribus uterentur. Neqve Langii explicatio a Marqvardtio (Staatsv. II, 583 n. 1) recepta probari potest, qvod semper alias integrae educebantur cohortes praetoriae (ut Tac. H. II, 11) neqve omnino intellegitur, qvam ob rem qvattuor cohortes dimidiatae, non duae integrae in bellum profectae sint. Ne id qvidem perspicuum est, qvis dimidiae cohortis parti, qvae Romae relinqvebatur, praefuerit, cum tribuni cohortium praetoriarum in castris tenderent (c. 15). Qvando hic numerus factus sit,

Augustus institueri. Erant tamen etiam eqvitatae et ita qvidem, ut in centuriis singulis singulae turmae essent. Qvam rem nuper non recte in dubium vocavit Foerster.* Decurias ac sine dubio etiam turmas legionum fuisse nunc certum est. Inventi enim sunt tituli decurionum legionum, qvi et ante Claudium** et certe non ante Trajanum*** fuerunt. Tamen non dicitur decuria vel turma legionis, sed eqves legionis cujusdam semper. Qvibus ex rebus recte concludimus eqvitatum legionis plane a legione ipsa separatum decurias (et turmas) habuisse. Similiter in cohortibus praetoriis inerant decuriae et turmae, ita tamen, ut essent centuriis adscriptae. Hoc evidentissime probat C. I. L. VI, 100 = Wilm 1572; ad decuriam enim centuriae adjunctam manifestissime spectat „optio equ. coh. VIIII pr. 7 Juli," et cum „cohortium manipuli turmaeqve" a Tacito† memorentur†† nihil restat nisi qvod singulis centuriis singulas turmas adsignatas esse existimamus. Nam qvod Foerster putat, primum a cohortibus segregatos esse eqvites,††† deinde cum eis conjunctos, tum segregatos denuo, veri dissimillimum est. Sed utcunqve res se habet, cohortes praetoriae per secundum

---

ignoratur; fieri potest, ut jam Vespasianus, cum, ut recte Mommsen (Hermes XIV, 32) conjecisse videtur, cohortes ad novem redigeret simul legionarias vel dimidiatas fecerit. Ac videtur modus conjunctivus verbi: „inessent" apud Tacitum (II, 93) significare, numerum a Vitellio institutum non vulgarem et Taciti aetate usitatum fuisse (vide tamen p. 17). Sed utut haec res est, numerum militum cohortis praetoriae, cum libellus de castris scriberetur, ad sexcentos fuisse statuendum est.

* de fide Veg. p. 10 n. 5.

** C. I. L. II, 1681.

*** titulus nuper repertus et mecum a prof. Mommseno communicatus (decurio leg. XI Claud. cfr. Borghesi Oeuvres IV, 227).

† A. XII, 56.

†† cfr. Suet. Claud. 21.

††† Hoc ne Suetonius qvidem (Cal. 45) confirmat.

saeculum ita eqvitatae erant, ut eqvites non a centuriis suis sejuncti essent. ** Itaqve ad secundum saeculum non pertinet libellus, qvoniam hic eqvites a centuriis segregatos esse manifestissimum est. Nam tendunt a cohortibus praetoriis plane sejuncti, interposita etiam, ut videtur, via vicinaria *** et in cap. 7 ita de eqvitibus praetorianis disponitur, ut de eis cum centuriis conjunctis cogitari non possit. De tempore illius segregationis nihil certi dicere possum; nescio an Septimius Severus, cum ex integro cohortes praetorias constitueret, *eqvites separaverit, fortasse etiam cohortes legionarias reddiderit.* —

Deinde praefectus fabrum et centuriae fabrum nusqvam in castris tendunt. Qvod facillime explicatur, si ad tertium saeculum libellum pertinere putamus. Nullus enim praefectus fabrum post Severi et Caracallae aetatem invenitur. *** At vero praefectus castrorum in his castris, † ut praefecti socium in polybianis, omissus est. Fieri potest, ut locus praefecti fabrum incuria qvadam omissus sit; sed ubi tendunt fabri? Non in fabrica: e verbis capitis qvarti extremi est manifestissimum. — Reliqvae autem institutiones militares ad tempus determinandum, qvo scriptus sit libellus, nihil praebent. Inveniuntur per duo prima saecula evocati Augusti, primipilares, statores, †† eqvites singulares, ††† comites

* C. I. L. VI, 100 = Wilm. 1572 a. 157.

** v. Lange ad Hyg. p. 185, 189.

*** Wilm. 1281 adnot.

† cfr. Lange ad Hyg. p. 132.

†† ut Henzen 6771.

††† Probant tamen qvodammodo etiam hi saeculum tertium, si recte observavit Henzen, Sugli eqviti sing. p. 29, post Aurelium demum eos eqvites imperatoris nostri nominari.

imperatoris * vexilla veteranorum. ** Classiarii qvoqve milites jam ante Septimium Severum Romam transducti et collocati videntur, ut ex „vita Commodi" *** efficitur. Hoc statuo contra Marqvardtium, † qvi loco Herodiani †† nititur. De toto enim loco valde dubito; ††† certe nimius fuit Herodianus vel cum praesidio urbis confudit exercitum extra urbem collocatum (legionem II parthicam), qvamqvam ejus separatim mentio fit. §

Postremo sermo libelli ad tertium saeculum spectat. Qvod ad demonstrandum paene prima verba sufficiunt. Vocabulum „papilionis" apud scriptores historiae Augustae demum reperitur et dictio: „supra scriptarum" etiam posteriorem §§ fere aetatem ostendit. Similiter „pedatura" non ante qvartum vel qvintum saeculum invenitur; §§§ spectant illuc etiam „praetentura", „retentura", „combinatus" similiaqve. *

* ut Henz. 5448; C. I. L. III, 550.

** Tac. A. III, 21; ubi Nipperdey verba: „non amplius qvingenti numero" perversissime explicavit; spectant enim eo, ut tam exiguus numerus vexillariorum veteranorum, non amplius qvingenti numero, ut jam eo tempore sine dubio vulgo erant, easdem Tacfarinatis copias, qvae nuper vicissent, fuderint.

*** c. 15: populum romanum a militibus classiariis, qvi vela *ducebant* in amphiteatro, interimi praeceperat.

† Staatsv. II, 475.

†† III, 13. 4: τῆς τε ἐν Ρώμῃ δυνάμεως αὐτῆς τετραπλασιασθείσης de Septimio Severo.

††† Herodiani fidem illustravit Zürcher in Büdingeri „Untersuchungen zur röm. Kaiserg. I, 226 sqv.

§ στρατοπέδου τοσούτου πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυθέντος.

§§ Non refellunt „supra dicta" apud Sic. Fl. (p. 137, 7).

§§§ Frontinus habet podismum (ποδισμόν) p. 32, 5 L.

* Auctorem agrimensorem fuisse ex his et multis verbis dictionibusqve „observare, in rigore, per rigorem" cet. patet. Sine dubio fuit vir qvalis apud Hyginum (p. 121, 7 L) describitur: „evocatus Augusti, vir militaris disciplinae, professionis qvoqve nostrae capacissimus," qvi Trajano imperante agros veteranis dividebat. Humilioris loci hominem

Non sine aliqvo momento ea res mihi videtur esse, qvod tertio saeculo Mauris militibus Imperatores romani multum tribuerunt. Inveniuntur sane jam prius in exercitu romano, * sed saepissime tertio saeculo occurrunt et in inscriptionibus ** et apud auctores, ut videtur, non modo eqvites, sed etiam pedites. *** — Recte jam Marqvardt † animadvertit, expositionem auctoris libelli ad orientalem expeditionem spectare videri, praesertim cum camelis (certa enim est Schelii emendatio cap. 29) locus in castris assignetur; qvam ob rem etiam de africano bello cogitari potest. †† Qvae autem fuerit illa expeditio, difficillimum est dijudicare; innumerabiles fere erant inter Caracallam et Gallienum imperatores usqve a Macrini bello contra Parthos (vita Macrin. c. 8: ubi fortasse scribendum est: appellatus igitur imperator imperio suscepto contra Parthos profectus est e. q. s.). Haud scio an Gaetulorum (qvae gens sine dubio rectius e verbo tradito „getati" (c. 29, 30) efficitur qvam natio Getarum, ††† qvamqvam in corruptissimo libro nihil certum constitui potest) § ma-

haud scio an ostendat sermo modestus, qvi saepissime in modis futuro et conjunctivo versatur; cfr. capp. 45—47.

* Satis est memorare Lusium illum Qvietum: v. Dio 68, 32; vita Hadr. 5, 8; Froehner, la colonne Trajane 1872 tab. 86; Tillemont II, 172.

** ut Ren. 79 = Wilm. 1524, Ren. 3579 = Wilm. 1636, ubi vexillationes memorantur eodem modo ac Maurorum copiae in libello de castris sunt.

*** vita trig. tyr. c. 32; — vita Max. c. 11: Mauris — — — qvos secum Alexander ducebat ad bellum; v. Gord. c. 15: conlectis Mauris.

† l. l. p. 580 c. n. 4.

†† cfr. Veg. III, 28.

††† Qvae invenitur e. g. apud Arrian. ac. c. Al. c. 8: ἴλη τῶν Γετῶν.

§ De Gaetulis v. Flor. II, 31, 40 H.; Dio 53, 26; 28, Velleius II, 116, 2; I. R. N. 2211 (Claudii aet.) et saepe. Hoc loco moneo contra Langium et G. Gemollium „Brittones", non Britones scribendum esse, ut docent inscriptiones (cfr. Aschbach, Die britt. Aux. in d. röm. Donaul. in Jahrbuch d. vaterl. Gesch. 1861 p. 245.

gnus numerus inter supplementarias nationes et C. I. L. VIII, 8795* (sine dubio est N. P. Sev. = numerus Palmyrenorum Severianorum:** erant enim, ut opinor, supplementariae nationes qvi vulgo appellabantur „numeri") potius africanam expeditionem indicent.***

Rationem ex eqvitatu legionario sumptam ad aetatem auctoris libelli definiendam, qvam primus attulit Mommsen per discipulum † et alter qvoqve discipulus †† atqve Foerster usurparunt, non adhibui, qvia satis infirma et cui prorsus fidere non possimus, mihi videtur esse. Neqve tamen Marqvardtio § adsentiri possum: erat enim eqvitatus legionarius plane a peditibus separatus. Qvantum autem illi rationi tribuendum esset ut viderem, omnes qvos inveni titulos reliqvaqve testimonia eqvitum legionariorum collegi. §§ Titulos infra adnoto cum scriptorum testimoniis:

Tac. Ann. IV, 73 (an. 28: cfr. notam Nipperd.)

C. III, 6416 (ante an. 43 p. C. v. C. III, p. 281).

C. V, 1882 (Claudii aet.?)

C. III, 4858 (= Wilm. 1441; ante Neronem, ut videtur).

Steiner, Inscr. Dan. et Rh. 491 (= Herzog, Gall. Narb. 48 [?]) et Brambach 1196 (aliqvanto ante Vitellium).

---

* Pace prof. Mommseni octavum volumen Corporis I. L. nondum editum hic et infra obiter qvidem inspexi.

** cfr. VIII, 2486, 2505, 3917.

*** Doleo, qvod disqvisitionem Henzeni Ann. d. Inst. a. 1860 p. 52 sqv. non vidi.

† Hermes XI, 167.

†† Rhein. Mus. a. 1875 p. 409.

††† Rhein. M. a. 1879 p. 240.

§ Staatsv. II, 579.

§§ Nunc inter omnes constat eqvites legionum ab Augusto institutos esse (Marqvardt, Staatsv. II, 442 c. n. 1) — id qvod jam Salmasius (Graevius, Thes. vol. X, 1447) aliis repugnantibus contenderat. C. VIII, 3260 (= Ren, 1245; etiam perscriptus est: „eq. legionarius".

Bramb. 269, 898; C. V, 6879; Inscr. Helv. 31 (ante Vesp.).

Joseph. III, 6, 2 (an. 67).

Tac. Hist. I, 57 (a. 69).

C. VIII, 3532 (= Ren. 5 = Wilm. 1519; an. 129).

C. III, 6178—80 (circa a. 134).

Arrian ac. c. Al. c. 4 (οἱ ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἱππεῖς; an. 136).

C. VIII, 2550 (= Ren. 56; a. 198).

C. VI, 3409 (= Kell. 198, eqv. a. 208).

C. III, 4173 (aet. Carac; C. III, 4172 paullo prior v. Mommseni notam.

C. II, 2663 (a. 216).

Bramb. 1034 (= Wilm. 2264 a. 231).

Ren. 100 (= Wilm. 1488; a. 235—238)?

C. III, 5942 (a. 240).

C. VIII, 3103 (= Ren. 820 = Wilm. 1468 aet. Comm. vel post eam cfr. Wilm. 1462, 639).

C. III, 5947 (post a. 170).

C. VIII, 3164 (= Ren. 821; non ante Carac.)

Bramb. 1077 (=Orell. 3589; non ante Sept. Sev.)

C. V, 896 (= Wilm. 1496; saeculi, ut videtur, qvarti v. Mommsen Eph. ep. IV, 234).

Horum testimoniorum aetas *certo* constitui potest. Nunc pono titulos, qvi qvando inscripti sint certo et accurate dici non potest. Sunt hi:

Kell. 290; Br. 1209, 1260; C. VII, 118; C. V, 2162; III, 3162ª, 1814 (uterqve a. 43—69?) 269, 4480, 4271 (= 3396, qvod Mommsenum effugit v. ejus notam), 3420 (= Orell. 1792); 1590ª, 3574 (5057, 5105) 4476, 6416, 5948, 363; titulus decurionis, qvem supra memoravi; Le Bas-Wadd. 2228, 2270? (decurio) 2271; C. VIII, 2567 (Ren. 133), 2565 (R. 134), 3143 (R. 291), 3047 (R. 373), 3082 (R. 515), 3088 (R. 537), 3095 (R. 565), 3111 (R. 647),

2882 (R. 701), 3140 (R. 738), 3165 (R. 826), 3180 (R. 922), 3199 (R. 1008), 3197 (R. 1005 solum „eq.“) 3260 (R. 1245), 3261 (R. 1246) 3274 (R. 1290), 3156 (R. 1360), 2593 (R. 4075), 2874 (eq. leg. III Aug. *ex optione)*, 3080, 3256, 3166 (R. 4237), 9796 (sol. eqv.).

Hos titulos perlustrantem et perpendentium mox offendit exiguus numerus eorum, qvorum tempus *certius* determinari potest. Multi sane eorum, qvi qvo tempore scripti sint accuratius dijudicare difficile est, ad tertium saeculum nullo modo revocari possunt; sed sunt conplures * qvos qvominus ad hoc saeculum referamus nihil impediat. Qvae res eo plus momenti habet, qvo minus titulorum eqvitum legionariorum repertum est. Sed multo magis offendit, qvod, qvamqvam vix dubitari potest, qvin fuerint eqvites legionum inde ab Augusto ** certe usqve ad annum 240, inter annos tantum 28—69, 129—136, 198—240 eos fuisse certis argumentis demonstrari potest. Nam ne e C. III, 6178—80 qvidem, ubi octo eqvites veterani honesta missione mittuntur, colligere possumus, fuisse eqvites legionarios multo ante a. 134, ut docent tituli C. III, 4172, 4173; V, 896; VI, 3409; VIII, 2894. Huc accedit, qvod C. V, 896 probabiliter ad qvartum saeculum refertur (de Epit. Aur. Vict. 14 nihil dico); qvamqvam concedo fieri posse, ut ante qvartum saeculum eqvitatus legionarius sublatus sit et denuo re militari nova instituta renovatus et instauratus. Qvae cum ita sint, valde

---

* Moneo tamen titulos africanos ad annos 237—252 sine dubio non spectare: v. Wilm. not. ad 1469.

** Lacunam annorum 69—129 et 136—198 explere videtur Dio (69, 9, 4): οὕτω καὶ τῷ ἔργῳ καὶ τοῖς παραγγέλμασι πᾶν τὸ στρατιωτικὸν δι' ὅλης τῆς ἀρχῆς ἤσκησε καὶ κατεκόσμησεν ὥστε καὶ νῦν τὰ τότε ὑπ' αὐτοῦ ταχθέντα νόμον σφίσι τῆς στρατείας εἶναι; cfr. Veg. I, 8.

dubito contendere, eqvites legionum a. 240 sublatos esse et cum qvo anno imperii sui (potius initio ejus qvam sub finem) Gallienus legatos legionum sustulerit, ignoretur, admodum infirma haec ratio mihi videtur esse, cur inter an. 240—267 libellum scriptum esse statuamus. De eqvitibus legionariis infra plus disputabo. —

At enim aliam descriptionem cohortium legionis tradit Vegetius, ex cujus expositione ad tempus libelli determinandum aliqvid Lange aliiqve hauserunt. Qvae omnia Mommsen evidenter et paene mirifice evertit * ut de argumentatione, qvae duabus titulis ** innitatur, vix ambigi possit. *** Nam fides titulorum in dubium vocari non potest, etsi forte signum 7 primo paullulum offendit. Significat hic qvoqve centurionem; † neqve recte id intellexisse videntur †† Wilmanns (ad 1594) et Henzen (ad C. VI, 3404) pro cohorte accipientes, ut falso legionem illud signum posse significare

* Eph. Epigr. IV, 226 sqv. Praeterea si *omnes* cohortes in qvinqve centurias ab Hadriano divisae essent, vix in columna Anton. signa manipulorum invenirentur (v. Bartoli, col. Anton. passim).

** C. VI, 3404 = Wilm. 1594; C. VIII, 2555 = Ren. 1407.

*** De titulo autem lambesitano C. 2554 (= Ren 60, Henzen 6790) qvae statuit Mommsen incertum est an omnia probanda sint. Inter tituli principales unus 7 (centurio) significatur „sur la moulure“, unus act(arius) legionis, unus cor (nicularius), unus qvaestor (sine dubio tamen collegii optionum) ac quattuor nomina non plena sunt, ut fortasse talis significatio exciderit. Sive excidit post haec nomina sive post duo alia omissa est errore lapicidae significatio muneris, qvinqve principales efficiuntur, qvi socii optionum erant (cfr. Henzen 6608; Ren. 90), ut, qvamqvam adjutores — id qvod veri similius videtur — non pro optionibus qvinqve enumerantur, tamen 59 optiones fiant. Hoc potius probari potest, praesertim cum inventus sit nullus titulus, ubi optio simul nominetur actarius legionis vel cornicularius.

† ifr. C. III, 195.

†† v. Mommsen l, l. p. 236 sq.

opinatus est Lange.* Praeterea Vegetii fidei jam diu nihil paene tribuitur. Qvalis sit, ostendunt satis superqve capp. IV et XV libri secundi, ubi Vegetius in prima acie *principum* qvinqve *cohortes* constituit, reliqvas qvinqve ejusdem legionis in secunda acie *hastatorum*, in tertia autem triariorum qvinqve cohortes *alius* legionis ponit.** De fontibus ejus inter alios jam Dirksen juris consultus disputavit*** qvi ad Lydum † et Digesta †† vocans *aliqvam* partem ex opere et juridico et militari haurire *potuisse* summa sagacitate et doctrina demonstravit. Sed unde reliqva sumpsit? Reputanti qvemadmodum omnes historici romani aliiqve scriptores opera sua composuerint, veri simile videtur Vegitium, qvi vel aetate Theodosii I ††† vel Valentiniani III § erat, scriptorem nunc ignotum saeculi qvarti descripsisse, qvi ut Vegetius *duas tantum* mutationes: „antiqvam" et „hodiernam (i. e. constantinianam) ordinationem" nosset et illam e fontibus suis describens infelicissime confudisset. Qvae ratio describendi, ut verus propriusqve fons, unde hauserit auctor, non afferatur, apud Vegetium manifestissime apparet. Nam etsi vix qvisqvam dubitat, qvin Vegetius „totum de depugnationibus caput magnam qvidem partem ex Catonis de disciplina militari libro exscripserit" §§ et inter fontes vel auctores suos illum qvoqve Catonem refert (I, 8; II, 3),

---

* ad Hyg. p. 160.

** Illustravit fidem Vegetii nuper Foerster (de fide Fl. Vegetii, Bonnae 1879) dilucide qvidem, sed nimis et sine caussa saepius increpans, ut vel e primis paginis apparet.

*** Hinterlassene Schriften II, 412 sqv.

† de mag. I, 9.

†† 50, 6 = II, 920 ed. Momms.

††† Lang praef. ad Veg. p. VII sqv.

§ Seeck, Hermes XI, 61 sqv.

§§ c. notam Langi ad Veg. III, 20.

tamen numqvam opus paene sex saeculorum in manibus ejus fuisse luce fere clarius est. Eadem caussa nec Celsum nec Frontinum Paternumve nec constitutiones Augusti Hadrianive habuisse veri simillimum est. * Contra Cincii liber de re militari exscriptus esse videtur ** sed eum non Vegetius affert. *** Opus autem, ex qvo Vegetius suum compilavit, qvarti saeculi fuisse inter alia ex eo probatur, qvod milites per Christum jurant (II, 5) et ordinariorum (centurionum), qvi apud eum summi sunt centuriones, mentio fit in titulis qvarti demum, † ut videtur, saeculi. †† — Haec de tempore libelli et de iis rebus qvae ad id pertinent.

Alia qvaestio haud levioris momenti mihi videtur esse, utrum sine lacunis majoribus nobis libellus traditus sit necne. Neqve in fine neqve in medio libello qvicqvam deesse videtur. Nam „in parte ima breviter" et „de munitione castrorum et de soli electione et de arte iniqvitates locorum vitandi" (cap. 22) ante librum confectum et absolutum disseruit auctor, ut nihil sane restet, de qvo agat. ††† Ne in medio qvidem libello ullum lacunae vestigium inveni. Qvamqvam de ea re

---

* Qva de re videtur disseruisse Bruncke in „qvaestionibus Veg.", qvem librum non vidi.

** Veg. I, 1; Gell. XVI, 4, 6.

*** cfr. de hac tota re Lydum de mag. I, 47; Gell. IX, 4, 5 et Peter, hist. rom. fragm. I, LXI sqv.

† Le Bas-Wadd. 2053 et saepe.

†† Ordinarii enim appellabantur etiam tertio saeculo (v. Bonosi c. 14, 2) manipulares: qvarto saeculo „primi ordines" ordinarii centuriones vel breviter ordinarii nominabantur (v. infra). Tunc sine dubio manipulares non jam ordinarii vocabantur. Contra Froesterum (l. l. p. 38) de vexillariis aliisqve moneo.

††† Recte igitur Lange et G. Gemoll post: *potuerunt* punctum posuerunt.

aliter sentit A. Gemoll, * sed falso.** Et falsam esse ejus opinionem, cum ante verba: „Nunc latus“ lacunam statuit, perpicuum est. Nemo sane est qvi non videat, ambitum castrorum ab agrimensore omnino ita computandum esse ut Gemoll putat; *** sed hic confundit id qvod auctor potuit exponere cum eo, qvod exponere voluit: eum explanare computationem suam debuisse nullo modo probavit. Qvam ab rem Gemoll operam suam perdidit. Qvin etiam certum mihi videtur auctorem libelli suam computationem non dedisse. Nam si in lacuna Gemollii exposuisset, qvemadmodum e numero militum castrorum ambitum colligeremus, sine ullo dubio pergere non potuisset brevissime: „nunc latus praetorii componamus et praetenturam similiter computemus cet“ qvod, ut Gemoll ipse dicere videtur, omnes tres partes et cohortes legionariae *simul* respiciendae et observandae erant. Deinde si primum e numero tendentium hominum longitudinem et latitudinem castrorum computasset, postea, ut evidenter probant capp. 32, 34, 42, eum longis rationibus computaturum fuisse, qvomodo, cum essent notae et constitutae † longitudo et latitudo, copiae in eas optime qvadrarent, vix veri simile videtur. Spectet enim computatio, qvam in lacuna Gemoll fingit, ad trium legionum numerum cum supplementis traditis necesse est, qvod communis et generalis computatio omnino non potest tradi. Atque mire dixisset auctor libelli cap. 42: „qvoniam est latitudo DC pedum *video, qvot hemistrigia*

---

* Hermes XV, 247 sqv.

** In errorem induxisse eum videntur Schelii verba apud Graev. p. 1098.

*** Tamen incertissima est Gemollii conjectura: „primum“ e *pr*, ut initium cap. 25 convincit.

† Fortasse cap. 32 verba: *supra scriptis* post vocem: supplementis exciderunt.

esse possint et cap. 35: ut sciamus *similiter, qvot hemistrigia nascantur.* Erat scilicet in lacuna ratione, ut ita dicam, inductiva longitudo qvoqve retenturae totorumque castrorum constituta! Praeterea capp. 36—42 qvodammodo dat auctor eas ipsas rationes, qvas Gemoll in lacuna fuisse putat. Qvae cum ita sint, nihil restat nisi ut auctorem exponere voluisse existimemus, ut dati numeri ad dispositionem, qvam ipse constituisset, plane se accommodarent; qvam ob rem etiam primum latera praetorii (non retenturam), deinde praetenturam et *postremo* (c. 42) retenturam tractat. Itaqve non nego rectius auctorem ita computationem prolaturum fuisse ut finxit Gemoll in illa lacuna; sed nihil prorsus habemus, cur ipsam lacunam statuamus. — Qvin autem nonnulla initii libelli perierint, nemo est, qvi dubitet.

Rectissime jam Lange* contra Schelium tres partes libelli discrevit (cfr. c. 45); de qvibus ita dicit: „prima parte id egit, ut singularum exercitus castrorumque partium rationes referret atque exponeret; secunda parte certum qvendam exercitum datis numeris suis locis constituit, — tertia denique parte exposuit munitionem castrorum, soli electionem, artem iniqvitates locorum vitandi.“ Prima igitur pars commune castrorum exemplum praebet, ut sunt etiam castra polybiana, qvae tamen, ut est consentaneum, certos numeros exhibent.** Ejus castrorum exempli forma, „in qvantum“,

---

* ad Hyg. p. 99 sq.

** Qvi castra polybiana in Comm. Momms. p. 33 sqv. tractavit, H. Droysen qvoqve ita de iis recte judicavit; sed Polybium parum intellexit, cum loca certa castrorum interpretatione non necessaria verborum κατὰ βάθος labefactare conatus est. Hoc non minus falsum est qvam si qvis Polybium castra qvaedam ante oculos versata descripsisse credat — id qvod tempus verbi ab eo saepissime usurpatum (praes. vel aor. gnom.) manifestissime vetat.

ut ait auctor (cap. 21), „potuerit", tertiata esse debebit." Cum autem castra Polybii qvadrata sint * non sine caussa qvaeritur, qvando illa forma tertiata in usum recepta sit.

Huic qvaestioni nulla aperta testimonia, qvod sciam, respondere possunt. E Taciti ann. 1, 61 non, ut voluit Schele,** tertiata forma certo efficitur: exiguus enim numerus auxiliorum *** ad aliam dispositionem copiarum spectat ac qvae in libello describitur, qvamqvam haec potest fuisse. Neqve magis e capite 18 illam formam concludere possumus, qvia auctori, qvi in verıloqviis suum ipsius tempus — et perverse qvidem — paullo post significat, non sane multum tribuimus. Josephus qvoqve † παρεμβολὴν τετράγωνον tantum memorat et qvae seqvuntur verba ejus: καὶ μέσας μὲν τὰς τῶν ἡγεμόνων σκηνὰς τίθενται, μεσαίτατον δὲ τούτων τὸ στρατήγιον non fortasse plane ut sunt accipi debent, qvod si fieri posset, posteriorem formam commendarent. Ac si scriptores tacent, ne lapides qvidem loqvuntur. Neqve enim relliqviae et ruinae castellorum romanorum, qvae nunc restant, certum testimonium praebent. Ad Caesaris aetatem non revocant, qvamqvam fieri potest, ut ejus castra majora ad Gergoviam, qvorum relliqviae similitudinem qvandam castrorum tertiatorum habent, ibi collocata sint, ubi Napoleon III †† et Göler ††† ea fuisse putant. Ac ruinae ad locum qvendam S:t Pierre extantes, qvae castrorum Caesaris sint necne valde incertum

---

* σχῆμα γίνεται τῆς στρατοπεδείας τετράγωνον ἰσόπλευρον VI, 31, 10.

** Graev. l. l. p. 1038.

*** ne dimidia qvidem pars, Vell. II, 117; Suet. Aug. c. 23.

† III, 5, 1.

†† Hist. d. Jul. Caes. ed. germ. II, 259 n. 2.

††† Caesars gall. Krieg I, 270 tab. IX, 5, A.

est, * oblongae qvidem, sed enormes sunt. Neqve firmata et stabilita est Cohauseni opinio ** ad hodiernum locum Niederbieber a Caesare, cum iterum Rhenum transiret, castra posita esse. *** Videntur potius ad aetatem Imperatorum spectare, sed, nisi fallor, qvo tempore hoc castellum vel id qvod ad Saalburgium positum est, condita et constituta sint, non constat. † Qvae qvamqvam ita sunt, tamen qvando castra tertiata usurpari coepta sint, probari potest: primum si mutationum rei militaris rationem habemus, deinde per errorem qvendam Livii. — In castris Polybii media loca tenent eqvites romani. Qvi cum militare desivissent et majores exercitus qvam duae legiones in castris ponerentur, formam castrorum ad id tempus qvadratam in tertiatam vel oblongam mutatam esse consentaneum est. Certius testimonium est Livii error. Is cum qvaestione portarum castrorum proxime cohaeret; de qvibus nunc paullo longius repetendum est.

Antiqvitus multo ante Polybii tempora, cum nondum freqventes socii in exercitu romano militarent, forma castrorum sine dubio oblonga erat et consule ne sociorum qvidem cohortem qvodammodo praetoriam habente †† praetorium lateri castrorum propius fuisse videtur qvam apud Polybium. Qva ipsa re veri simile est, praetoriam appellatam esse portam, qvae illi lateri erat imposita. Exercitum autem in parte

* Fossionibus patefactae sunt fossae rotundatae, Caesar autem fossas „lateribus directis" memorat (B. G. VIII, 9). Göler castra Caesaris ad alium locum transtulit, sed sine dubio falso (v. Heller, Phil. Anz. a. 1881 p. 96).

** JJbr. des Rheinl. vol. 47 et 48 p. 50.

*** Qvod Ritter (JJbr. vol. 39 et 40 p. 45 sq.) proposuit, sine dubio perversum est.

† — „quello (castro) di Saalburg, creduto dei tempi d'Adriano:" Le Antichità di Aosta da C. Promis.

†† Cfr. Mommsen, Hermes XIV, 26.

hostibus adversa i. e. in fronte castrorum tetendisse consentaneum est. Etiam apud Polybium partem hostibus adversam copias et portam decumanam continuisse, aversam partem cohortem praetoriam, qvae e sociis constabat, et praetoriam portam * complexam esse pro certo exploratoqve habeo. Ita rem etiam Lipsius, Becker-Marqvardt aliiqve rem intellexerunt. Alia sententia fuit Nastii ** et Royii *** qvi portas inter se mutarunt. Huic sententiae nuper Nissen † et ab eo illectus Marqvardt †† adsensi sunt. Neqve tamen recta est. Mireris sane, qvod Nissen, qvi Livium optime noverit, auctori in militaribus rebus plane infido tantum tribuit, ut ei soli se totus traderet. Nuper rectissime qvidem Hankelii perversam explicationem verborum Polybii: ἡ κατὰ πρόσωπον πλευρά, ††† qvam ad verbum paene eandem jam Klenze § proposuit, refutavit, §§ sed ipsas portas suas frustra defendit. — Erat aetate auctoris libelli de castris porta praetoria hosti adversa (c. 56: porta praetoria semper hostem spectare debet), decumana autem porta aversa in „eminentissimo loco.“ §§§ Eandem positionem habent Caesaris castra ad Sabim posita * e qvo flumine qvin milites caesariani aqvati

* Per qvam exercitus sine dubio castra movens egrediebatur (cfr. Polyb. VI. 40, 4).

** Röm. Kriegsalt. tab. D.

*** The military antiquities of the Romains tab. IV.

† Templum p. 40 sqv.

†† Staatsv. II, 401.

††† VI, 27, 6.

§ Phil. Abhandl. herausg. v. Lachmann p. 137 sqv.

§§ Neue Jahrbr. a. 1881 p. 129 sqv.

§§§ „in statuenda metatione primum locum habent qvae ex campo in eminentiam leniter attolluntur, in qva positione porta decimana eminentissimo loco constituitur ut regiones castris subjaceant,“ qvo cum optime consentit usus notionum supra et infra constantissimus (capp. 15, 18, 19 et saepe). Cap. 24 „infra“ verbum discrepat, sed conjectura Langii natum in „juxta“ mutandum esse videtur; cfr. c. 29.

* B. G. II, 18.

sint, nihil impedire potest. Qva ex re haud scio an non temere concludamus jam Caesaris aetate castra libelli usurpata esse. Sed haec castra Livii aetate in usu fuisse perspicuum est.* Primum si ita erat, optime intellegitur, cur Livius duobus certe locis** qvaestoriam portam dixerit pro decumana; vix qvisqvam enim Nisseno*** adstipuletur, qvi hanc appellationem ad praetoriam portam optime respondere („und zwar in passendem Parallelismus zur porta praetoria") atque sine ulla alia caussa qvaestorem in praetorio statuit (p. 45). Deinde si locos Livianos diligentius perscrutamur, sententia a me proposita confirmatur. Primum locum affero sine explicatione† alter locus, †† qvocumqve modo explicatur, confusus et obscurus est, ad posteriora autem castra melius qvadrat. ††† Has omnes res consideranti mihi qvidem minime dubium est, qvin Livius de portis castrorum eodem modo egerit ac de polybiano verbo: σπεῖρα § vel de cohorte praetoria dictatoris Postumii §§ et sexcentis aliis rebus. Utrum additamentum: „decumana porta" §§§ vel „portam qvae-

* Non plane intellego, qva re commotus Lange, qvi (Hist. mut., p. 64 n. 11) rem jam perspexisset, duobus annis postea (ad Hyg. p. 166) in Royii et Nastii errorem incurrerit.

** 34, 47; 40, 27.

*** Templum p. 41.

† 10, 32: a *tergo* castrorum decumana porta impetus factus; itaqve captum *qvaestorium* . . . . consul duas cohortes tueri *praetorium* jubet.

†† 41, 2: praetorio dejecto direptisque, qvae ibi fuerunt, ad qvaestorium forum qvintanamqve hostes pervenerunt.

††† Nisseni explicatio (l. l. p. 44), qvam ante eum jam Dacier et Lange (ad Hyg. p, 136) protulerunt, tam perversa est, ut refutationis non indigeat.

§ Lange, Hist. mut. p. 15 fin.

§§ II, 20; qva cohorte etiam Marqvardt (l. l. II, 389 n. 3) valde contentus est.

§§§ 10, 32.

storiam" * in fontibus suis, qvi tamen Sullae aetatem non superant, invenerit an ipse suo tempori convenienter admiscuerit, non dijudico.

At qvi evenit, ut porta praetoria, qvae apud Polybium hostibus aversa est, Caesaris aetate adversa fieret? Rudorff ** augurali disciplina nititur, cum portam decumanam et frontem castrorum in occidentem solem, qvem adversus secundum antiqviorem disciplinam augur spectaret, conversas esse, postea fronte spectantis et castrorum in orientem versa etiam portam praetoriam in fronte eorum positam esse existimat. Licet vero aliter ac Nissen *** Rudorff recte statuerit in disciplina augurali conversionem vel mutationem † ab occidente in orientem olim factam esse, tamen hanc mutationem ad castrorum portas mutandas *post Polybii aetatem* valere potuisse minime probabile est, praesentim cum Romani sine dubio parum in castris ponendis de caeli plagis curam haberent. Simplex et, ut opinor, recta explicatio jam in manibus est. Lange †† primus animadvertit neqve omnino propter viam qvintanam ††† qvisqvam est qvi non videat, praetenturae libelli partem cohortis praetoriae apud Polybium respondere, ut lateribus praetorii et retenturae exercitus strigas. Ac si praetorium oblongum in loco eqvitum positum est, ut media castra teneret, et qvaestorium pone id ad alterum latus castrorum, ne via praetoria, qvae ad portam praetoriam ducebat, intercluderetur et obstrueretur, constitutum est, res ipsa poscebat, ne qvaestorium hostibus obiceretur, sed ut contrarium latus eis

---

* 34, 47.

** Feldmesser II, 343, 345 sqv.

*** Templum p. 14 sqv.

† De ea tamen dubitari potest.

†† Hist. mut, p. 64 n. 11.

††† c 17, Pol. VI, 30, 6.

adversum fieret, praesertim cum amplificaretur et majoris securitatis caussa eqvitatu repleretur. — Confirmat qvod de tempore dispositionis castrorum disserui etiam Paulus ex Festo p. 256 M. (qvi locus non minus temere scriptus et confectus est qvam p. 224 (s. v. principalis) et a Nisseno * aliisqve depravatus est): „qvintana appellatur porta in castris *post* praetorium, ubi rerum utensilium forum sit.“ ** Porta enim qvintana interdum in extrema via qvintana constituta est, ut e ruinis castrorum ad „Berry au Bac“ *** et libello (c. 17) apparet; qvamqvam Josephus † qvattuor tantum portas memorat et solitae qvattuor portae etiam in castellis Niederbieber et Saalburg inveniuntur. †† — Nihil habeo, cur qvaestionem portarum usqve in tempus Byzantinorum hoc loco perseqvar, ut voluit Nissen; ††† nihil aliud addo, nisi qvod „Anonymus Byzantinus“ qvi erat eo tempore § de nominibus portarum castrensium nihil memorat.

Errares tamen vehementer, si qvadratam crederes unam et solam formam castrorum usqve a Caesaris temporibus fuisse. Apparet usum Romanos abstinuisse, qvin sola castra qvadrata ponerent; cujus rei etiam certa testimonia habemus.

---

* Templum p. 44.

** Cfr. Liv. 41, 2.

*** Göler, tab. XVII, 5a; Napoleon, Atlas tab, 9 A.

† B. Jud. III, 5, 2.

†† Cohausen in disputatione qvam supra memoravi falso portas longioribus lateribus adfixas qvintanas nominat; ut portas praetoriam et decumanam inter se confundit, qvam in confusionem etiam Krieg von Hochfelden (Gesch. der Militärarchitektur a. 1859 p. 58) in castello Saalburgensi describendo incidit. Confusionem autem esse vestibulum demonstrat, qvod sine dubio in fronte praetorii positum erat, et via praetoria, qvae a praetorio castelli Saalburgensis ad portam praetoriam ducit. Idem e latitudine aliaqve extructione portarum efficitur.

††† Neue Jahrbbr l. l.

§ Köchly et Rüstow, Griech. Kriegsschriftsteller II, 2.

Fieri sane potest, ut Caesaris „castra lunata“ ad Trapsum * posita nihil aliud, ut putat Rüstow, ** nisi „aliqvot oblonga castra intervallis inter se disjuncta“ fuerint; jam ante tertium saeculum tamen castra aliter extructa i. e. rotundis vel rotundatis lateribus *** in usum recepta esse certissimum est; qvin etiam qvae Caesaris apud Berry au Bac posita castra feruntur paene ad normam qvadrata sunt. † Idem significant qvae auctor libelli dicit. †† Falso igitur Lange ††† dicit, postremis demum Imperatorum temporibus alius formae castra praeter tertiata usurpata esse. Opinione minus de hac re docent relliqviae castellorum. Ad priora Imperatorum tempora pertinentia, qvae ad rem illustrandam valeant, nulla novi. § Venta Icenorum, olim castellum romanum, vix ante Diocletianum aedificata sunt, ut monetae ibi repertae docere videntur. §§ Eodem modo Caumont (in Cours d'Antiquitès monument.) cui non multum propter insulsas animadversiones §§§ et ineptas explicationes * tribuendum est, castella

---

* Bell. Afr. c. 80.

** Heerwesen und Kriegf. Caesars p. 82, tab. II, 15.

*** Froehner, la col. Traj. tab. 35, 101 et passim.

† Cfr. Stewech. apud Scriver. l. l. p. 74.

†† cap. 21: „in qvantum fieri potuerit, tertiata; — — si latiora fuerint, proxime qvadraturam seqvens est dictatio.

††† ad Hyg. p. 171.

§§ Consulto omitto Augusta Praetoria Salassorum aliasqve colonias e castris stativis natas, qvod certum argumentum non praebent. Cfr. Nissen, Templ. p. 61.

§§ „Roman coins are very frequently found within the walls and in the adjacent grounds, several of which I have in my possession and the ploughmen — sold me tho, which they had found — one of Constantine andone of Dioclesian.“ Wilkins, Archaeol. vol. XII p. 138. antiqviores non memorat.

§§§ p. 302: porte decumane, ainsi nommée parce que dix soldats pouvaient y passer de front!

* ut „castrorum classicorum“ v. Langium ad Hyg. p. 172.

Normandiae tertio vel posterioribus saeculis assignat. Germanica castella ad limitem imperii vel non longe ab eo qvadrata qvidem sunt* sed continebant, ut omnibus notum est, vexillationes legionarias vel auxiliarias**, ut ad castra usitata complurium legionum et auxiliorum nihil pertineant. Castella autem qvae apud Saalburg et Niederbieber sunt, et propter amplitudinem et propter dispositionem memorabilia,*** descriptioni castrorum libelli prorsus conveniunt. Ex his omnibus testimoniis, qvibus verba Vegetii † et Anonymi Byzantini †† adicienda sunt, colligi potest, formam qvadratam certe a Caesaris temporibus usque ad Justinianum usitatissimam et tritissimam fuisse.

Secundum totum castrorum ambitum intervallo sexaginta pedum intermisso (ut in castello Saalburgensi †††) legiones tendebant, qvia eis, „militiae provinciali fidelissimae" custodia valli credita erat. Qvod consilium planum et perspicuum etiam Iustiniani temporibus seqvebantur; in castris

---

* Habel, Annalen d. Ver. f. Nass. Alterth. vol. 3 p. 150. Cfr. Raiser, der Oberdonaukreis d. Kön. Bayerns u. d. Römer a. 1830—32 et Knapp, römische Denkmäler des Odenwaldes a. 1854.

** ut in castello apud Wiesbaden Habel (l. l. p. 152) duas cohortes fuisse opinatur.

*** Species eorum deformarunt Krieg v. Hochfelden l. l. et Cohausen l. l.

† III, 8 p. 81, 20 sq. ed. L.: „pro necessitate loci vel qvadrata vel rotunda vel trigona vel oblonga castra constitues nec utilitati praejudicat forma; tamen pulchiora creduntur, qvibus ultra latitudinis spatium tertia pars longitudinis additur.

†† Köchly et Rüstow l. l. p. 143 cap. XXIX, 2: Ἡ δὲ τάφρος καὶ χάραξ τετραγώνῳ ἑτερομήκει σχήματι διατετυπώσθωσαν.

††† Ad oppidum et castra comparanda praecipue hoc intervallum convenit, qvod jam Klenze (phil. Abh. p. 157) cum pomerio contendit; cfr. Mommsen, Röm. Forsch. II. 35 not. atqve Pol. VI, 41, 10 s.; Joseph. B. J. III, 5, 2.

enim Anonymi Byzantini auxilia, qvae tunc sine dubio e solis eqvitibus constabant,*) media loca tenebant, legiones latera custodiebant **). At haec res etsi fiduciam erga legiones praestat, tamen eis munera qvoqve militaria attulit, qvae auxilia vel supplementa legionum ignorabant ***). Inter haec „plura munera" legionum memorat auctor libelli munus vigiliarum, qvae ita disponebantur, ut e singulis contuberniis denorum militum bini in vigilias succederent. Scribo enim verba mutilata primi capitis hoc modo: Haec pedatura ad plenas legionis (fortasse: legionum; cfr. p. 93, 9; 95, 12) centurias (in codice, unde descriptus est arcerianus sine dubio erat 77 † est computata, ex qvibus in vigiliis seni deni sunt, ut non plus qvam octonos papiliones singulae tendant.†† Verba „qvibus" et imprimis „singulae" postulant, ut antecedat „centuriae", qvae vox, si siglis solitis scripta erat, facile a scriba omitti potuit †††). Atqve attente omne caput

* Cfr. Salmasius ap. Graev. Thes. p. 1298; Gibbon, Hist. of the decline cet. cap. 1 not. 43.

** XXVIII, 1 sqv.

*** Cfr. Veg. II, 3: „est et alia causa, cur attenuatae sint legiones. magnus in illis labor est militandi, graviora arma, *plura munera*, severior disciplina. Qvod vitantes pleriqve in auxiliis festinant militiae sacramenta percipere, ubi et minor sudor et maturiora sunt praemia."

† Apparet illum codicem passim notis vel siglis scriptum esse: p. 85, 5 scriptor cod. arc. PE in 77 corrupit; p. 85, 5 sine dubio verba „imperatoris nostri" ideo desiderantur, qvod ibi siglis I. N. scripta erant; p. 72, 6 PR·O PR (= *pr*aefect*o pr*aetorio) p. 75, 7 a. l. ad p. 71, 13 (ubi G. Gemoll perverse emendavit). Haec duo postrema exempla ostendunt, scriptorem arcer. et perverse et omnino non compendia scripturae solvisse. Verba in cod. arc. omissa esse ex eo manifestissime patet, qvod c. 48 vocabulum: cervolis deest. Qvae res in emendando textu diligentissime observandae sunt.

†† Qvod Lange proposuit ideo pobari non potest, qvia distributivi numeri in arceriano codice non notis significantur. Neqve „legionem" in sensum loci prorsus qvadrat.

††† „Ut — tendant" pro „et — tendant" audax sane philologis emen-

perlegenti perspicuum est, duobus tentoriis minus ea de re fuisse, qvod homines seni deni ex singulis centuriis deinceps vices vigiliarum agebant. Hoc jam Lange intellexit; temere et impudenter contra eum dicit G. Gemoll in editione sua, ubi nihil fere nisi perversae emendationes vel potius conjecturae inveniuntur (p. 5): „perspicua est viri temeritas et militarium rerum inscitia". Neqve enim debuit magnus sane numerus Gemollium terrere, nisi oblitus esset, 4800 velites * aetate Polybii vallum castrorum custodivisse. Ad magnum numerum spectant etiam verba Anonymi Byzantini. ** Dubitari non potest, qvin omnes cohortes legionariae vigiliarum muneris participes fuerint; falso Lange hoc negat. *** Error ejus ex eo manavit, qvod inter vigilandi munus et defensionem valli, cum hostes instarent, nullum discrimen statuit. Praeterea si expositio auctoris, (cap. 1.) ut consentaneum est, ad omnes legionum cohortes pertinet, fieri non potest, ut fuerint cohortes, qvae immunes a vigilando abhorrerent, neqve omnino intellegi, qvam ob rem praecipue duae illae cohortes, qvae in praetentura primae cohorti contrariae tendebant, munus vigiliarum non obirent. Credo eos vigiles in ipso aggere vel vallo per totum castrorum circuitum qvaternos singulis locis † excubuisse, ut velites polybianos. De loco velitum castrensi magnum certamen fuit;

---

datio (cfr. tamen p. 93, 5) videbitur, qvamqvam „et non" certe minus usitatum est; potest etiam scriptura tradita retineri (cfr. „nec", verisimillima Langii conjectura c. 21 p. 78, 7.

* Recte Nissen e Polyb. XV, 9, 7 collegit, socios totidem velites habuisse ac Romanos ipsos; cfr. Pol. X, 32.

** Cap. XXVII, 6: ἀναγκαῖον δὲ τοῖς καθ' ἑκάστην σκηνὴν καὶ φύλακας ἔχειν νυκτός. Propter verba: „de singulis *centuriis* qvaterni eqvites" Vegetio (III, 8 p. 83, 19 sqv.) in hac re nihil prorsus credi potest.

*** ad Hyg. 110.

† Polyb. VI, 33 7.

eqvidem ne minime qvidem dubito, qvin in ipso aggere positi sint. Dicit Polybius * τὴν δ'ἐκτὸς ἐπιφάνειαν οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι, παρ' ὅλον καθ'ἡμέραν τὸν χάρακα παρακοιτοῦντες· αὕτη γὰρ ἐπιτέτακται τούτοις ἡ λειτουργία, ἐπί τε (a Schweighaeusero add.) τῶν εἰσόδων ἀνὰ δέκα ποιοῦνται τούτων αὐτῶν τὰς προκοιτίας· Cum toto capite de noctis vigiliis (non de custodia et defensione valli) agatur **, nemo est, qvi non intellegat, Polybium velites universas secundum totum castrorum ambitum (παρ'ὅλον — τὸν χάρακα) et ante portas vigilias obiisse censere. Res ipsa postulat, si non ante castra velites excubabant, ut e tota vigilia unus certe in ipso vallo custodierit; fieri autem potest, ut tres reliqvi infra aggerem dormierint. Nemo tamen *vigilum* tentorium habere potnit, ut qvod proposui locis Polybii *** non repugnet. Vigiles milites (= velites) extra vallum stetisse (tetendisse?!) manifeste videtur mihi refutare locus qvidam Polybii † ἔξω κελεύει τοῦ χάρακος καὶ τῆς ἀσφαλείας ποιεῖσθαι τὴν παρεμβολήν. †† Qvod ad Festi locum e Catonis libro exscriptum attinet ††† „procubitores" sunt *ii ipsi* velites, qvi ante portas § tendebant et apud Polybium προκοιτίαι appellantur. Ante fossam castrorum intervallis interjectis aliqvos milites statui non potuisse

* VI, 35, 5.

** Emendatio Schweighaeuseri τηροῦσι pro πληροῦσι non est necessaria; cfr. Caes. B. C. I, 21.

*** VI, 31, 11; VI, 36, 2.

† VI, 38, 3.

†† cfr. Front. Str. IV, 1, 18; Val. Max. II, 7, 15 et saepe. Plane non intellego, ut Marqvardt e collocatione militis extra vallum supplicii caussa sibi rationem petierit. Locus Val. Maximi, qvem ipse attulit, eum refutat.

††† p. 253ᵃ M.

§ Observandum est post „velites" „qvi" non *qvod* esse. „Ante castra" pro „pro portis" etiam apud Caesarem saepe reperiuntur B. G IV, 32, V, 15 (B. C. I, 43).

nemo non videt. Qvam ab rem Marqvardt * munitiones proprias velitibus ante castra tribuit, qvamqvam de iis ne verbum qvidem usqvam reperitur. Nam „procestria" nihil omnino demonstrant, qvod extructiones ante portas positas et cum iis cohaerentes significare possunt, et unum argumentum, qvod afferri potuit (a Marqvardtio non allatum): ** Anon. Byz. XXIX, 2 fin. nihil nisi *videtur* rem confirmare. Exempla autem, qvae, ut rem probaret, Marqvardt protulit magnarum copiarum qvae extra portas excubarent *** minime apta et idonea sunt, qvia locus Caesaris † non ad castra pertinet et reliqva (qvae aliqvantum augeri possunt) exempla ad confusionem stationum et vigiliarum apertissime spectant. Vigiliae in aggere castrorum ad speculandum et ad milites ad arma canclamandos, si hostes subito subrepsissent, atqve „disciplinae caussa"†† constituebantur; stationes majores copiae, certe dimidia cohors ††† erant, qvae primum hostium impetum repentinum ad portas exciperent. § Erant stationes maxime necessariae, praesertim cum castra aestiva foribus carere solerent §§ et fossa ante portas interrupta esset, atqve constabant aut ex eqvitibus aut e peditibus, §§§

* Staatsv. II, 396.

** Miror, qvod Marqvardt semper Leonem Tacticum citat, non Anonymum Byz., etsi ille ex hujus libro exscripsit (v. Köchly et Rüstow l. l. II. 2, 37 sqv.

*** „besondere Truppentheile immer in grosser Anzahl zu den Aussenwachen beordet."

† B. C. I, 21.

†† cap. 49, *52*; Dig. 49, 16, 3.

††† Caes. B. G. IV, 32.

§ Caes. B. G. VI, 37.

§§ Extra ordinem caussa praecipua fores semel extruxit Caesar (B. G. VIII, 9).

§§§ Caes. B. G. VIII, 15; Bell cfr. 31, 38.

interdum fortasse ex utrisque *. Ipsius rei natura ita fert, ut stationes et interdiu et noctu ** pro portis dispositae sint neqve Rüstowii sententia (l. l. p. 109) probari potest, aliqvos vigiles et speculatores *nocte* suppetivisse, qvi ne primum qvidem improvisum impetum hostis paullisper sustinere potuerunt. — Qvis autem tertio saeculo et prius fortasse ante portas excubuit? Tacet de hac re auctor libelli. At tacet etiam de eqvitatu legionario. Qvid si has duas res conjungo, si statuo eqvites legionarios fuisse ipsas stationes ante portas positas? Vix qvicqvam est, qvod impediat, qvin hoc credamus. Si in legione quattuor eqvitum turmae erant, *** tribus legionibus in castris tendentibus ad portas singulas ternae turmae excubabant. Si in memoriam nobis revocamus, cohortes legionarias, qvod essent „militia provincialis fidelissima" custodiam aggeris et „exercitum gentibus imperatum suo numero corporali ut muro" circumscriptum habuisse, probabile videtur, *legionarias turmas* castrorum portas custodivisse. Hanc ob rem fortasse eqvites legionum ab auctore libelli non memorantur; fieri etiam potest, ut in initio libelli deperdito eorum mentio facta sit munerisqve vigilandi, qvod obibant, ut cohortes legionum et munus earum simul fere commemorari videntur. Dicit etiam Vegetius † (auctor sane est, cui parum fidere pos-

* B. C. I, 73.

** Caes. B. C. I, 21; III, 50.

*** Joseph. B. J. III, 6, 2: εἵπετο δὲ αὐτῷ τὸ ἴδιον τοῦ τάγματος ἱππικόν· ἴδιοι γὰρ ἑκάστου τάγματος εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατὸν ἱππεῖς. τάγμα apud Polybium, ut omnibus notum est, manipulum significat; apud Josephum autem, cum de certa, ad urbanam militiam non pertinenti manu agitur, legionem. Exiguum numerum eqvitum legionis fuisse ex eo efficitur, qvod perraro in titulis inveniuntur, et ratio eqvitum et peditum C. I. L. VIII, 2567 (Ren. 133, ubi sunt 58 pedites, 1 eqves) et in aliis inscriptionibus).

† III, 8, p. 84, 7 L.

simus): „sciendum tamen est eqvites extra vallum nocturnas excubias facere debere"; qvamqvam qvi eqvites fuerint, non dicit. Qvod autem addit: „per diem autem castris positis alii mane alii post meridiem propter fatigationem hominum eqvorumqve agrarias faciunt", ad praecipuum consilium pertinet, qvod auctor libelli omisit; qvomodo in hac re tertio saeculo egerint, teste Vegetio, homine infido et posterioris aetatis, nihil certi dici potest. Alios eqvites in stationes successisse existimemus necesse non est; neqve enim ambigitur, qvin velites, qvibus, ut dixi, custodia valli Polybis temporibus credita erat, per dies nostesqve * secundum id excubuerint. Ac vix qvisqvam non intellegit, necesse non fuisse omnes eqvites per totam noctem eqvis insidere; ref enim in eo versabatur, ut expediti eqvites extra portas essent, qvi hostem appropinqvantem proturbarent et portas apertas defenderent. Praeterea meminerimus, plus oneris omtino legionibus adsignatum esse.

Exceptis copiis qvibusdum retenturae omnes castrorum milites tendere debebant per strigas, qvae 120 pedes longae, 60 pedes latae erant. Intra hoc spatium ita contrarii ** tendebant 200 pedites vel 80 eqvites, ut in 100 pedites longitudo 120 pedum et latitudo 30 pedum computarentur vel $1\frac{1}{5}$ pes longitudinis in omnem peditem; in eqvitem autem, qvi non modo equum, sed etiam custodem eqvi habebat (v. e. g. Bramb. 990), 3 pedes longitudinis computabantur, ut in eadem pedatura 40 eqvites ponerentur. *** Computationem auctor libelli

* Polyb. VI, 35, 5: καθ' ἡμέραν, qvod etiam VI, 36, 5 de nocte dicitur.

** P. 66. 6 sine dubio scribendum est *contrarii* vel *contra se*; cfr. c. 3 p. 68, 15.

*** De hac re jam Lange (ad Hyg. p. 101 sqv.) omnino recte disputavit; neqve tamen via transversaria inter tentoria centurionis et

hoc modo significat: „omnis miles provincialis accipit pedaturam pedem adjecta qvinta per totam latitudinem hemistrigii, eqves autem duo semis adjecta qvinta" (cap. 25). De pedite verba satis sunt plana et perspicua; qvae de eqvite sunt jam Lange * recte explicavit: „intellegenda est qvinta pars pedum duorum semis, ut apparet ex 26, ubi in eqvitum numero ad pedites redigendo qvintam et peditis et eqvitis omittit, qvod salva proportione facere non potuit, nisi qvinta pedum duorum semis intelligenda esset." ** Nihilo minus A. Gemoll adstipulatus est sententiae Schelii, qvi singulis eqvitibus $2\frac{1}{2} + \frac{1}{5}$ pedes tribuit. Confuderunt *** extrema verba capitis 16 Schelium et Gemollium. Hoc loco illum † ineptissime conjecisse: nihil deducitur, miror, qvod nemo vidit. Nam qvid sibi vult illud: nihil deducitur (vel: nihil deficit) post priora verba? Conicio: semisqve deducitur (ad incrementum); in *eo* pede — tendant; *alioqvin* singuli *binos* pedes et *semisses* acciperent. Idem efficitur, si de incremento dimidii pedis nihil *dixisse* †† auctorem credimus ac scribimus: Et ideo in singulis eqvitibus terni pedes computantur. Nihil deficit, ut ††† in eo pede — —. Verba: „alio-

---

militum gregariorum interponenda erat (v. ejus tab. I fig. 1), ne ille a suis militibus sejungeretur.

* ad Hyg. p. 177.

** Computatio satis simplex est: Eqves omnino duobus et dimidio plus qvam pedes accipit i. e. $(1 + \frac{1}{5})\ 2\frac{1}{2} = 2\frac{1}{2} + \frac{1}{2} = 3$. Dixit auctor „duo semis adjecta qvinta", qvia incrementum etiam in computanda eqvitis pedatura separatim afferre voluit.

*** Ad id non spectavi, qvod fieri potest, ut auctor libelli ipse rationes suas altero vel altero loco confuderit.

† l. l. p. 1081.

†† Cfr. c. 26 (meminerimus — dari debere) et c. 42.

††† Exempla tamen afferre non possum, qvibus haec constructio probetur. Debuit certe esse: *qvin* pro *ut*.

qvin — acciperent“ significant: qvod etiam principales et praefectus in pedatura duorum semis pedum locum accipiunt, singuli eqvites non plenos duos semis pedes obtinere possunt. Hoc loco verbum accipiendi vere pro obtinendi vocabulo usurpatur — id qvod e praecedentibus verbis „accipiat“ et „computantur“ explicatur; qvamqvam capp. 26 et 34 in voce accipiendi inest notio computandi. At apparet, qvemadmodum A Gemoll rationes suas subduxerit. Factae sunt enim ex formula: $2\frac{1}{2} + \frac{1}{5} + (\frac{1}{2} - \frac{1}{5})$, ubi $\frac{1}{2} - \frac{1}{5}$ pedaturam principalium significat. Prorsus tamen ea re refellitur, qvod, si in singulos eqvites non plus qvam qvintam pedis partem ad incrementum computamus, qvattuor eqvites, qvi eandem pedaturam qvam decem pedites accipiebant (10 pedes), non majus tentorii sui incrementum habebunt, qvam $\frac{4}{5}$ pedis ($4(2\frac{1}{2} + \frac{1}{5}) = 10 + \frac{4}{5}$). Langii rationes confirmant etiam tentoriorum retenturae numeri, de qvibus Lange ipse falso dubitavit. Apparet enim ex eis etiam unum pedem peditis ad computationem tantum spectare et similiter, ut consentaneum est, duos semis pedes eqvitis ad computationem pertinere, ut eis numeris etiam principales contineantur et dimidius pes de universis tribus eqvitis pedibus ad incrementum deducatur.* — Ceterum in strigis et eqvites et pedites ita tendebant, ut ei viae majori adversi essent, qva e castris egrediebantur. Tunc qvoniam signa praeferebantur, id latus nomen „signorum“ vel „signi“ accipiebat. Neqve tamen ex hac re ullo modo seqvitur, qvod statuit Lange,** non reliqvarum cohortium signa ad primum cohortem in castris fuisse (unde signiferi ea sine dubio apportabant), sed „signa“ cap. 3 tantum ima-

* G. Gemoll (p. 11 s.) rem ita confudit, ut eqvidem non intellegam, qvemadmodom sana mente qvas proposuit rationes subduxerit.

** ad Hyg. p. 120.

gines imperatorum * significare — qvam significationem hoc verbum nullo libelli loco habet. Itaqve copiae praetenturae viae praetoriae adversae erant (c. 14 — ne hic qvidem locus sententiam Langii probat —, c. 34), et milites laterum praetorii sine dubio adversus viam principalem tendebant, et in retentura ad viam qvintanam spectabant, (c. 43) legionariaeqve cohortes vallum castrorum intuebantur (c. 2; 31); qvod G. Gemoll ** dicit, signa esse „longius semistrigii latus", refutationis non indiget. Alteri lateri nomen erat tabulino; unde hoc nomen sumpserit, minime constat. De tabulario castrensi, qvod qvin fuerit, dubium non est, *** vix nomen deduci potest (hoc tabularium nusqvam, qvod sciam, tabulinum appellari, minima qvidem ratio est). Credo idem verbum, sed aliam formam esse ac tabulationem † et tabulatum †† et proprium nomen fuisse sermonis militaris vel agrimensorii. Ipsum tabulini verbum apud scriptores varias habet significationes ††† et „tabula" etiam apud gromaticos valde inusitate conternationem significat. § Sine dubio tabulinum appellabatur, qvod in altero latere qvasi tabulata ordines militum praebebant (cfr. papilionem pro tentorio aliaqve).

---

* Cfr. Veg. II, 6.

** p. 7; 48.

*** Bramb. 695 [genio tabularii]; C. VIII, 2852 [= Ren. 551: a tabul. castr.]; Jahrbbr d. Rheinl. XXIX 122 [tabularius castrensis] et saepe. Tabularium castrense in praetorio fuisse veri simile est. Perversissime Rudorff, Gr. Ins. p. 370 n. 358.

† Caes. B. C. II, 9; Vitr. 5, 5, 7 p. 116 R.

†† Caes. B. G. VI, 29; Grom. vet. p. 415, 23 L.

††† Cfr. praec. Varro ap. Non. 83, 21. Ne domus qvidem „tablinum" ad tabularium pertinet (Nissen, Templ. p. 140).

§ Hyg. d. lim. d. 200, 12 L. Inusitata significatio terrere non potest; habet „schola" (cap. 20) propriam et singularem significationem, qvae nusqvam reperitur. Ita etiam „titulum" (capp. 49, 60) et „novercae" (c. 56, 58).

Copiis qvibusdam retenturae exceptis, ut jam dixi, omnes milites per strigas 60 pedum latitudinis et longitudinis 120 pedum tendebant. Sed ad unum omnes per strigas significationis latius patentis locum accipiebant (cfr. cap. 34; 43). Legati autem et tribuni, ut de praetorio et qvaestorio taceam, per scamna, non per strigas, tendebant (c. 15). Non est dubium, qvin utrumqve verbum ad artem agrimensoriam pertineat; verum cur loca legatorum et tribunorum scamna appellata sint, nemo recte exposuit, ne Lange qvidem, qvi causam appellationis e definitionibus agrimensorum non sumi posse opinatus ita pergit:* „Legatorum et tribunorum scamna dicuntur, qvoniam eae pedaturae a strigarum dictatione differunt; ** accedit, qvod per latitudinem strigarum laterum praetorii extenduntur. Illam causam ipse Hyginus indicat verbis seqventibus: nec communis strigarum indicationem metationis habet."*** Rem hoc modo expedio. Forma castrorum antiqvissima, ut jam dixi, sine dubio oblonga erat. Strigas appellabant, qvae in longitudinem castrorum decurrebant, scamna, qvae in latitudinem eorum extendebantur. Castra enim plane habebantur pro qvadra agri oblonga, qvae striganda vel scamnanda erat; strigationem autem agri vel scamnationem ita definit Frontinus, ut illa per longitudinem, haec per latitudinem fiat (p. 3 L.). Eodem modo, ut consentaneum est, statuunt qvi ex eo descripserunt Hyginus junior p. 207 et Pseudo-Boetius p. 397 † ac si alter Hyginus caeli plagas

* ad Hyg. p. 160.

** At in retentura cohortes qvoqve eqvitatae „a strigarum dictatione differunt!" Cur potuit scamnum melius ad hoc discrimen exprimendum adhiberi?

*** Haec verba „illam causam non indicant", sed pertinent ad ea, qvae seqvuntur.

† Lachm. Feldmesser II, 118, 109.

immiscet, fieri potest, ut secundum agrimensoriam rationem accuratius contra primum usum constituerit; * ceterum Hygini verba esse nihil nisi Lachmanni auctoritas probat, qvae hoc loco jure infringi potest. ** Marqvardt *** duas illas definitiones confudit. Qvod autem in libello praetenturae qvoqve copiarum loca strigae appellantur, haec appellatio ex analogia reliqvarum copiarum deducenda est et ab eo minime abhorret, qvod posteriore demum tempore non cohors praetoria, sed verae copiae ibi collocabantur. — In hac expositione posui strigas et scamna castrorum jam pristinis populi romani temporibus usurpata esse. Hoc vero e castris Polybii apparet, ubi certe strigae (ῥῦμαι) memorantur. Mihi enim haud dubium videtur, qvin ῥύμη apud Polybium et Josephum, qvi res castrenses Romanorum graece descripserunt, strigam significet, qvamqvam sane Schweighaeuser † et Klenze †† et Charisius ††† hoc verbum pro castrorum viis accipiunt. Eqvidem non nego apud alios scriptores graecos ῥύμη verbum plateam vel viam significare §

---

* Cfr. Front. p. 29, 2; 31 4; Sic. Flacc. p. 153, 11.

** Cfr. Feldmesser II, 130 („*beinah*"). Nipsus (p. 293) nihil nisi agrum aeqvis lateribus qvadratum et qvadris oblongis divisum discernit et comparat (prorsus non agrum strigatum nominat cfr. 293, 15 sqv. et 207, 6); verba „in longitudinem" et „in latitudinem" ad longitudinem et latitudinem *oblongae quadrae* spectat. Haec contra Nissenum (Templum p. 20 not) adnotavi.

*** Staatsv. II, 394 n. 3.

† Lex. polyb. s. v. ῥύμη: „viae in castris."

†† l. l. p. 116.

††† perverse qvidem, v. Lange ad Hyg. p. 108.

§ Ut dixit Phrynichus, „flos et robur Atticistarum", aetate Marci Aurelii et Commodi: Ῥύμη: καὶ τοῦτο οἱ μὲν Ἀθηναῖοι ἐπὶ τῆς ὁρμῆς ἐπίθεσαν· οἱ δὲ νῦν ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ στενωποῦ· δοκεῖ δέ μοι καὶ τοῦτο μακεδονικὸν εἶναι. Cfr. Bekker, Antiatt. p. 113; Schol. Od. 13, 195 (Buttm. p. 427); Poll. IX, 38; Matth. VI, 2; Act. apost. IX, 11; XII, 10; Sturz, de dial. Maced. p. 29; Dicaearch. βίος Ἑλλ. ed. Fuhr p, 140, 143.

sed evidentissime probant Polyb. VI, 29, 1;* 29, 7; 32, 5; (cfr. 31, 10) vocabulo graeco: ῥύμη a Polybio locum qvemdam, qvem obtinebant in castris milites, significatum esse. Ita etiam Josephus ** de eadem re habet verbum ῥυμοτομεῖται, qvo convertit latinum verbum strigandi, sine dubio in usum certe agrimensorum (ut pedare, scamnare) receptum, sed non in scriptis nobis traditum. Converterunt enim scriptores graeci, qvi de romanis rebus scripserunt, *** notum verbum agrimensorium scite et perbene. †

Cohortes legionariae a ceteris copiis via qvadam 30 pedum discernebantur, qvae sagularis appellata esse videtur, qvamqvam de nomine paullulum dubitari potest. Schele †† scribit: „initio volebam viam angularem vel angulariam ut semel habet liber, ††† obvio nominis origine; qvod nimirum circumeundo supplementa qvattuor angulos efficiat et ad castrorum angulos paene concurrat“; eandem conjecturam Mommsen qvoqve protulit; § at recte mihi Schele monere videtur: „sed cum toties dicatur sagularis, tenuit me reverentia veteris scripturae“; qvod eo rectius est, qvia veriloqvium verbi sagularis ad rem militarem spectat: derivandum enim est a sago, militis veste primitus gallica. §§ Neqve tamen omnes cohortes legionum extra hanc viam tendebant. Erant intra eam semper, ut ait auctor libelli, „caussa signorum et aqvilae“ cohortes primae, qvae cum duplum militum

---

* γενομένης δὲ τῆς τῶν ἱππέων παρεμβολῆς — οἱονεὶ ῥύμης τινός; παρεμβολή enim est area, qvam occupant milites, Joseph. III, 5, 1 et saepe.

** B. Jud. III, 3, 2.

*** Cfr. ἀρχεῖα = principia Plut. Galb. c. 12.

† ῥύμη e radice ῥυ — ut striga e strig — deducitur.

†† l. l. p. 1045.

††† Est. cap. 20.

§ Röm. Forsch. II, 35 n. 27.

§§ Hübner, Winkelmannsprogr. a. 1859 p. 11.

numerum haberent, duplam pedaturam accipiebant. Occasione data facere non possum, qvin breviter exponam, cur factum sit, ut prima cohors paullatim duplum numerum acciperet, praesertim cum, qvod sciam, * nemo hanc rem penitus perspexerit et dilucide explicarit. Mirum sane est, qvod Rüstow, ** qvamqvam rationem non perspexit, rectissime de eis dicit: „es kann daher sein, dass man nach und nach die Stärke der ersten Legionscohorten vermehrte, um mehr Soldaten mit der Einstellung in sie auszeichnen zu können". Et „es wäre nicht unmöglich, dass das Institut der Antesignani Veranlassung zu ihr gegeben hätte". Rationem non potuit certo dicere, qvod ille, ut Marqvardt *** de antesignanis Langii falsam explicationem probavit. Erant tamen aetate Caesaris nihil aliud qvam prioribus temporibus, † ut evidenter fere demonstrant exempla qvaedam, qvae ipse Marqvardt qvasi in contrariam partem attulit: Qvint. decl. 3: „pone in *prima acie*, pone *ante* signa — non inter tirones"; Caes. B. C. III, 84: „expeditos ex antesignanis electos (ita enim scribendum est); III, 75: „expeditosqve antesignanos"; I, 57: „electis ex omnibus legionibus fortissimos viros, antesignanos, centuriones" — qvi postremi tres loci neqve omnes antesignanos expeditos fuisse et inter fortissimos viros cum centurionibus habitos esse. †† Eos autem fortissimos milites fuisse valde consentaneum est. Triginta

* Fieri potest, ut hauc rem jam Zander, „Andeutungen z. röm. Kriegswesen", qvem librum non novi, explanaverit. V. Göler, Caesars gall. Kr. u. Bürgerkr. p. II, 37 n. 4.

** Heerf. cet. Caesars p. 21.

*** Staatsv. II. p. 342 sq.

† Marqvardt, l. l. p. 344.

†† Cfr. L. Müller, de re mil. qvaedam e Caesaris comm. excepta p. 12.

enim manipulis ad decem cohortes contractis (in qva re exponenda Marqvardt sententiam Rüstowii secutus est, cujus multarum rationum ne una qvidem certa est; contra omnes, ut recte Göler monuit, loco Livii 30, 32 sqv. refutantur) — fortasse etiam prius — in prima acie usitatae triplicis aciei fortissimi milites * ponebantur, qvi ad audaciores conatus adhibebantur (ut Caes B. C. I, 43); in posterioribus autem tirones. Nemo est qvi non videat hoc modo Rüstowium de iis, qvae supra attuli, rectissime disputasse et rem omnino ita se habere, ut, cum cohorte prima fortissimi viri continerentur, omnes in eam recipi voluerint. Qvacum re optime consentit qvod A. Müller ** et Mommsen *** de gradibus centurionum exposuerunt. Nam omnibus patet, veteranis militibus esse praepositos magis spectatos et probatos centuriones, tironibus tirones, ut optimi essent centuriones primorum ordinum centuriones vel „primi ordines" (etiam in titulo C. VIII, 3532 = Ren. 5. = Wilm 1519), qvi qvarto saeculo ordinarii † i. e. κατ' ἐξοχὴν ordinarii vel prae ceteris ordinati appellabantur. Hanc rem non minus fere qvam omnia .qvae enuclearunt Müller et Mommsen confirmat unus Arriani locus, qvem et illi et Marqvardt ignoravisse videntur: οἱ χιλιάρχαι, οἷς τέτακται, καὶ ἑκατοντάρχαι, οἱ τῆς πρώτης σπείρας ἐπιστάται ††. Qvo tempore prima cohors in decem centurias, qvibus summi praeerant qvinqve „primi ordines", di-

* Ita sine dubio etiam C. II, 2552 intellegi debet et alii tituli similes.

** Philol. a. 1879 p. 126 sq.

*** Ephem. ep. IV, 230 sq. Apertum tamen est Mommseni sententiam de centurionum gradibus legionis manipularis falsam esse; verum praebet Müller p. 130.

† Scribo Veg. II, 7 p. 39, 21: ordinarii dicuntur, qvi in proelio qvi primi sunt ordines ducunt (cfr. p. 39, 22).

Arr. contra Al. †† Ac. c. Al. c. 5. H. Addiderunt perverse ante ἑκατοντάρχαι Her-

visa sit, nescimus; Mommsen eam mutationem fortasse jam ab Augusto factam esse conjecit; qvam conjecturam falsam esse praeter alia evidenter probat locus Taciti.* Contra idem recte concludisse videtur** jam Hadriani aetate duplum numerum in prima cohorte fuisse, qvi non tamen necessario ad decem centurias vel qvinqve primorum ordinum centuriones pertinet. Vēgetii loco*** nihil prorsus tribuendum est. Atqve sane miserabilis est ejus confusio. Dat enim II, 8 primae cohorti non solum qvinqve ordinarios, sed etiam decem centuriones, † qvod non recte negat Mommsen, ut e numero: „qvinqvaginta qvinqve" et e verbis: „erant *etiam* — *secunda* cohors —" apparet —; II, 6 omisit sine dubio adjutores; II, 12 ei etiam tribunum praeposuit, fortasse cohortis milliariae auxiliaris confusione.

Intra viam sagulariam proprie omnia „supplementa" vel auxilia tendebant et ducibus, cohortibus praetoriis qvaestorioqve loca assignabantur. In praetentura — unde incipio — viae principali proxima erant tentoria legatorum in scamno latitudinis pro numero tentoriorum variae. †† In scamno legatorum, qvi plus qvam qvinqve millibus militum

---

cher, ante οἱ τῆς καὶ C. F. Müller. Illi centuriones ἀμφὶ σημείῳ procedebant; cfr. Tac. Hist. II. 89.

* Hist. III, 22. De simplicissima loci explicatione qvidam sine caussa dubitarunt; significat enim: centuriones primi, qvi sex erant.

** l. l. p. 236 n. 1.

*** II, 6.

† Qvos modo suo Vegetius facile constituit, falso Marqvardt (Staatsv. II, 441 n. 4) retinuit.

†† Scribo enim cap. 15: propter tentoriorum numerum incertum (= „prout numerus legionum effecerit"), existimans auctorem libelli scripsisse „tentoriorum," qvod verbum in "centurionum" a scriba qvodam mutilatum arceriani codicis scriba notis reddidit. Eodem modo cap. 8 „centuriones" invenimus pro „tentoriorum", qvam emendationem G. Gemoll, „pusillus" sane homo, sine caussa rejecit. Pag. 74, 10 scribo *qvoniam* pro *qvod non*.

praeerant, etiam cohortium praetoriarum tribuni, qvi sexcentos (!) milites regebant, tentoria habebant. Praeterea in eodem scamno et si res exigebat, ut videtur, in tribunorum qvoqve proximo, aedificia (septa?) qvaedam extruebantur, „ubi munera legionum dicebantur.“ Scribendum enim mihi videtur cap. 20: Scholis * cohortium principiis, ** ubi munera legionum *** dicantur, † initium †† scamnorum ††† contra aqvilam dari debet. Credo igitur utraqve parte castrorum areas et in scamno legatorum et in scamno tribunorum principalibus esse datas, ut et legati et tribuni haberent, ubi centurionibus aliisqve juberent. § Post scamnum tribunorum tendebant alae milliariae, qvae non 960 milites singulae continebant, ut putat Lange, §§ sed ad plenum numerum 1000 militum redactae erant. Hoc efficitur non modo e capite 32

---

* Dat. fin. Cfr. p. 74, 4: strigis pro strigae; Vitr. I, 7: aedibus — et Jovi et Junoni — — areae distribuantur.

** Hanc suam conjecturam perverse confirmat G. Gemoll capite 14, ubi vox principiorum sine dubio idem significat, qvod aliis locis, cum de castris agitur, i. e. praetorium: v. Corn. Nep. Eum. 7, 2; Tac. Hist. III, 13; falso interpretantur Marqvardt, Staatsv. II, 393 et Nipperdey-Lupus ad Corn. N. l. l. aliiqve). Sed Vegetius saepe (ut p. 16, 15; 71, 10; 82, 17 L.) principia pro principalibus usurpat; qvam ob rem fieri potest, ut Gemoll verba certissime corrupta recte emendaverit.

*** De verbo „legionum“ dubitari non potest, qvod vocabula in codice arceriano supra lineam scripta ad antiqvissimam manum pertinent, sine dubio aut scribae ipsius aut correctoris ut p. 37, 2 cfr. Lange prol. p. 9.

† Modus conjunctivus necessarius videtur, si verba *scholae* et *ubi* verbis *cohortium principiis* divelluntur.

†† Cfr. p. 66, 16: „sene“ pro „teneant“; p. 73, 12: „opti“ pro „optinet.“

††† Conjecturam Schelii: „legatorum“ pro „um“ vix recta est propter notam Langii (p. 78, 17 sq.): „spatio *propter menbranae vitium* vacuo relicto.“

§ Scholam eam qvoqve significationem habuisse hoc uno loco docemur; cfr. Vitr. V, 10 p. 126 R.; Wilm. 737, 1481, 1482.

§§ ad Hyg. p. 161.

ubi haec verba sunt: „ut alae milliariae in praetentura ad pedem tendant“, sed etiam e cap. 16, in qvo apertissime 1000 eqvi memorantur (qvi numerus neqve ex formula: 24(40 + 3) neque ex formula 24(37 + 3) effici potest. Confirmatur haec sententia similitudine tensionis alae qvingenariae: (40 × 3) 12 = 1440 et (40 × 3) 25 = 600 × 5,* et numero cohortis eqvitatae milliariae, qvi 1000 militum erat (cap. 26). Itaque sine dubio recte Schele ** conjecit, primam turmam duplum numerum habuisse. De Mauris eqvitibus, Pannoniis veredariis,*** classicis Misenatibus et Ravennatibus, exploratoribus jam Lange recte disseruit. De ceteris praetenturae copiis, de valetudinario, veterinario, fabrica difficillimum est judicium proferre, cum numeri et cap. 4 et c. 35 corrupti sint. † Ac primum qvidem qvod ad tensuram valetudinarii, veterinarii, fabricaeqve in universum pertinet, Schele notione superioris loci castrorum et inferioris omnino recte percepta, ita valetudinarium super cohortem primam ponit †† ut in eadem striga longitudo ejus tota introrsus con-

---

* *Videtur* refutari, qvod alam milliariam et duas alas qvingenarias inter se pedaturas mutare posse auctor libelli (cap. 15, 23, 24) significat.

** l. l. p. 1079.

*** Veredarium „vocem extraneam“ esse voluit Lange (ad Hyg. p. 175) ad germanicum verbum: Pferd revocans, qvod tamen e contrario ex „paraveredo“ deducitur: v. Du Cange Gloss. s. h. v. Veri simile igitur est, Festum (p. 372) recte conjecisse veredi vocem e verbis vehendi et redae derivantem (reda enim vel raeda, non rheda recte scribitur; v. Heinrich ad Juven. II, 124; N. JJbbr f. Phil. vol. 85 p. 109. Neqve hoc veriloqvium prima syllaba correpta [ut Mart. Ep. 14, 86, 1] diluitur praesertim cum ea vox ad cursum publicum proprie et principaliter pertinuisse videatur.

† Qvam sint corrupti numeri in libello, haec exempla monstrant: p. 90, 14: DCDCCCCXX pro $\overline{\text{VI}}$DCCCXX; p. 91, 5: CCCCXX pro CCCCLXXX, p. 87, 13: *CCXL pro DXL; p. 85, 4 CCCXX pro CCCCXX.*

†† l. l. p. 1050.

versa sit; qvod falsum esse, computatio simplicissima docet. Videtur praepositio *super* ideo hoc qvoqve loco adhibita esse, qvod eodem modo — et rectius qvidem — de tensione simili cohortium primarum et vexillariorum in lateribus praetorii usurpatur. Sed ne Lange qvidem valetudinarium recte statuit; id enim inter vexillarios et cohortes primas ponendum est.* De spatii autem magnitudine, qvod occupabant tria illa, si accuratius investigamus, apparet neminem adhuc verum invenisse. Nam de cap. 4 ad unum omnes perverse disputarunt. Qvaeritur igitur, qvantum loci veterinario, valetudinario, fabricae datum sit. Responsum habemus in cap. 35 corruptum, ut videtur, sed qvod tamen facile restitui et defendi possit. Credo eqvidem auctorem libelli ipsum scripsisse (cap. 35): „in unum ad DC homines" cet., qvamqvam ad summam numerorum (9000) qvadrare non videtur.** Qvod ut defendam, primum de cap. 4 disseram. Scribo id plane eodem modo ac Lange nisi qvod pro tradito numero LXX ego CXX pono.*** Sed longe aliter haec verba explicanda mihi videntur. Primum dicit auctor, si qvinqve vel sex elgiones acceptae sunt, supra cohortem primam utriusqve castrorum partis singula valetudinaria poni, qvorum pedatura singulis partibus ad centenos homines computatur (= ad CC homines duo valetudinaria h. n. species valetudinariorum).


---

* Hoc rectum esse manifestissime probant verba: „super qvibus — — deinde." Sine dubio ea aliter posuit Lange propter caput 24; sed hic scribendum est: „qvi a cohortibus primis proximi tendere debent et vexillariis legionum; item exploratores juxta strigam cohortis primae" (vel: „exploratores strigae cohortis primae"); „ut vexillarii" plane ineptum est additamentum. Paullo ante est similiter *primi* pro *primis*.

** v. Lange ad Hyg. p. 186; Hist. mut. p. 69.

*** Numerus LXX apertissime corruptus est, qvia neqve binario numero neqve ternario qvaternariove dividitur. Ne de qvadratis qvidem pedibus cogitari potest.

Deinde ponuntur supra ea vexillarii vel cohortes secundae vel, si necesse est (= „si res exiget;“ = „si in retentura nimius militum numerus tendere debet“) cohors peditata qvingenaria (cfr. p. 90, 1). „*Et* si strictior fuerit pedatura“ (cfr. p. 89, 6) i. e. si non tantum loci potest dari, qvia supplementa artius tendere debent (supra enim de prolixiore tensura et ampliore loco verba fecit), de pedatura cohortis legionariae 120 pedes per triginta pedum * latitudinem detrahendi sunt, ut cohors „numero suo“ i. e. ad 480 vel 500 milites (non 600), ut erat numerus ejus militum, computata, pedibus 600 tendat. ** Tensura igitur unius castrorum partis haec erat, „si strictior erat pedatura“ (qvadrat etiam in ea castra trium legionum, qvorum numeros postea apposuit auctor libelli:



Qvae cum ita sint, veri simile est cap. 35 qvoqve auctorem libelli valetudinaria, veterinaria, fabricas „in unum ad DC homines“ computasse, qvamqvam de pedatura cohortis legionariae vel vexillariorum minuenda tacuit. ***

Qvod ad latera praetorii attinet, cap. 9 in. et cap. 12

---

* Cum auctor *hoc* loco certum numerum posuerit, consentaneum est eum illo tantum modo accipi et explanari posse cfr. c. 2 p. *67, 5, 6.*

** Si locum ita accipimus, verba: „fabrica, qvae ideo longius“ cet., qvae Lange frustra explicare studuit, facile intellegimus. Est enim supra cohortem illam legionariam vel vexillarios posita, etsi potuit conjuncta esse cum valetudinario. Explicationi meae vix obstant verba: „et reliqva“ cet.

*** Postremo moneo cap. 35 scribendum esse: valetudinariorum, veterinariorum et fabricarum (p. 86, 9 et 10).

(cfr. c. 33) aperte dicit auctor ea ad 720 pedes computanda esse, ut cohortes praetoriae integris strigis tendant. Ita rem Lange qvoqve intellexit.* Nihilo minus anteriorem ejus partem in forum mutavit** — qvod G. Gemoll recepit —; Lange vero ipse*** animadvertit, incerta esse testimonia ejus fori (id qvod omnibus patet): dicunt enim Hyg. de const. p. 180, 8 L. *velut* ad forum et Joseph. B. J. III, 5, 2 (si ad hoc recte revocatur): ἀγορά τις, et apud Suidam, „asinum aureum" γνῶμα est ὥςπερ ἀγορά, ut hoc forum sine ambagibus removeamus. — Apertissime auguratorium et tribunal † ponit auctor „ad viam principalem", unde ea nullae rationes vel argumenta amoliri possunt. Propter locum Taciti †† alio auguratorium transferri non licet; qvis enim contendat, Germanici castra plane eodem modo instituta esse ac haec qvae ab auctore libelli describuntur et Imperatori ipsi destinata sunt. Huc accedit, qvod anguratorium et angurale, qvod Tacitus memorat, idem esse non constat. Nusqvam nisi qvattuor locis, ni fallor, hoc vocabulum reperitur ††† ac Qvintilianus id pro tabernaculo ducis (στρατηγίῳ) habendum esse diserte explicat. § Ubi arae §§ positae sint propter mu-

* p. 135: praetorium totum usqve ad viam principalem patebat.

** Hist. mut. p. 68, not. 4 proposuit scribendum initium cap. 9 aris institutis in forum principalis viae.

*** ad Hyg. p. 141.

† De hoc loco imperatores allocutiones illas habebant, qvae saepissime in columna Trajana (Froehner l. l. tabb. 35, 77, 135 cet) et in monetis (Cohen, Med. sur l'emp. I, 13; III, 7; IV, 6, 16, 18; V, I cet.) adumbrantur.

†† Ann. II, 13.

††† Tac. Ann. II, 13; XV, 30; Sen. de tranqv. an. XI, 8; Qvint. Inst. VIII, 2, 8.

§ Ex qvo possumus concludere, auspicia primo in tabernaculo ducis capta esse.

§§ Pluralis hujus verbi numerus est etiam apud Joseph. VII, 1, 3; Dio 56, 24, 4; Amm. Marc. 24, 6, 17.

tilata verba incertum est; sine dubio scribendum est: aris institutis praetorii parte ima* Conjecturam meam dicat aliqvis ob verbum *praetorii* qvod mox seqvitur, minus aptam esse: tales repetitiones tamen apud auctorem libelli non paucae inveniuntur, ut c. 29: tendere debebunt — tendere debebunt; cfr. cap. 19 et c. 54 *qvae efficiunt* bis. Illa verba propter ea qvae seqvuntur: „introitus (sic!) praetorii est" ita interpretor, ut aras praetorii parte ima vel maxime antica neqve tamen „ad viam principalem" constitutas esse credam. Groma autem in his castris eodem loco posita est, qvo jam apud Polybium invenitur; apparet enim eam non fuisse eo loco, ubi a Marqvardtio** aliisqve constituitur. — Proxime utrumqve latus praetorii „stationes" tendebant; milites, qvi ibi stabant, e statoribus fuisse, ut voluit Lange*** sine dubio similitudine verbi illectus, propter certum statorum numerum (c. 30 cfr. c. 33) nemo est, qvi sibi persuadeat. Videntur hoc qvoqve tempore, ut Polybii, vexillationes exiguae fuisse, qvae ad praetorium „in statione" positae alias artius alias laxius, fortasse pro numero suo tendebant vel potius stabant (cfr. c. 9 fin.). — Pedaturas comitum Imperatoris,† officialium †† reliqvarumqve laterum praetorii copiarum recte Lange disposuit.

De retenturae autem dispositione prorsus Lange erravit. Primum aliqvid qvaestorii foro alteri tribuit. Neqve

---

* Videntur enim verba: „intra viam principalem," qvae ad genus scribendi auctoris optime qvadrant (cfr. capp. 3 15, 44) non sine vi e verbis traditis erui posse.

** Staatsv. II, 394.

*** ad Hyg. p. 138.

† cfr. Pol. VI, 35, 4: συμβούλων.

†† cfr. Rüstow l. l. p. 27.

vero negari potest Festum, * Livium, ** fortasse etiam Josephum *** forum castrense memorare atqve Festus eo ipso loco † id ponere videtur, ubi fuisse Lange putat, sed cum de eo auctor libelli prorsus taceat, nihil habemus, cur fingamus — qvin etiam contendere possumus, tertio saeculo id non jam fuisse, qvia disertissime (c. 19) statores dicuntur „*lateribus* ejusdem (= *qvaestorii*) tendere debere *ad viam qvintanam.*" Ne tituli qvidem, ut Wilm. 1596, posterioribus temporibus castrense forum fuisse confirmant. — Sine ulla autem caussa Lange de numeris tentoriorum retenturae dubitavit. †† Res tamen restissima est et simplicissima. Cohors eqvitata milliaria 240 eqvites (= 600 pedites) habebat, qvi cum 760 peditibus ††† 1360 pedites efficiunt. Qvi sine incremento (cfr. cap. 42: adjecta qvinta pedum) in 136 teutoriis ita tendebant, ut in singulos singuli pedes computarentur. Neque tamen singuli obtinebant plenos singulos pedes (vel singuli eqvites 2½ plenos pedes), ut jam supra monui, qvod ex illis tentoriis singulos centuriones et decuriones accipiebant. Sic omnia optime cohaerent. Qvae cum ita sint, concedendum est, in singulis centuberniis harum cohortium denos pedites non fuisse; § sed in dubium potest vocari, num antiqva centum militum centuria denorum peditum contubernia habuerit, qvod fieri potest, ut, cum contubernii numerus ita indicatur, decanus pro supernumerario habitus sit. E verbis cap. 1 fin.: „alioqvin plus dari

* p. 256 M.

** 41, 2.

*** B. J. III, 5, 2. Cfr. etiam Suet. Nero c. 26.

† Per se hic locus ad forum castrense aptissimus est, qvod dubitari neqvit, qvin qvaestor etiam foro praesederit.

†† ad Hyg. pp. 178—181.

††† Erant in cohorte eqv. qvingenaria sine dubio non plus 360 pedites, ut eundem militum numerum haberet, qvem aliae cohortes qvingenariae.

§ Cfr. cap. 28 de cohorte ped. mill.

oportuisset" contrarium non efficitur; potest enim, cum veri simile non sit, propter tentoria centurionum ordinem metationis, qvae in unciali computatione versabatur, prorsus mutatum esse, ratiocinatio auctoris esse, qvae sine caussa facta erat. Ne e loco qvidem Josephi * illud certe concluditur, ut censent Schele ** et Lange; *** fortasse enim ideo deni milites e singulis centuriis instrumenta mensoria portantes progrediebantur, qvod dena tentoria ponere debebant. † Omnibus autem patet singula eqvitum contubernia non undenos homines effecisse, ut ineptissime censere Foerster †† videtur. †††

Sine dubio recte Lange § contra Schelium verba (cap. 40): „qva (sic scribendum esse videtur §§) solent et qvinqvagenis hominibus per strigas strictius seu laxius tendere" interpretatus est, sed rationes, qvas de divisione copiarum retenturae subduxit, perspicienti et perscrutanti mox patet, sua ipsius regula falso eum esse usum. Unum exemplum ut afferam, in „prima striga" (cap. 43), qvae proprie una et dimidia est, ducentis (!) hominibus laxius tendit cohors peditata milliaria. Manifestissimum vero est, numerum militum retenturae, qvem affert auctor libelli (13640), prorsus ad spatium retenturae ab eo computatum (cap. 42) qvadrare, ut qvod de strictiore vel laxiore tensura scribit, ad exceptiones, qvae a

---

* B. J. III, 6, 2.

** l. l. p. 1028.

*** ad Hyg. p. 103.

† Potest ex hac re colligi, aetate Josephi in centuriis fuisse 100, non 80 milites?

†† de fide Veg. p. 10: „bina contubernia."

††† De Vegetii loco, II, 13 p. 45, 16 L. nihil sumo.

§ ad Hyg. p. 190.

§§ Scribo etiam paullo post: „numeris evenit commutari," qvia facilius cum dativo et infinitivo qvam cum accusativo et infinitivo verbum coeniendi conjungitur.

datis numeris discrepant, referendum sit. Qvod cum ita sit, „supplementariae et reliqvae nationes“, qvae supra reliqvas retenturae copias tendunt, ut „omni parte circumscriptae* contineantur,“ ita sunt disponendae, ut qvod loci illae copiae vacuum relinqvunt, id occupent. Tum sane tendere non poterant per totas centurias, qvod cohortes eqvitatae non per usitata hemistrigia tendebant; ex qva re tamen mihi non seqvi videtur, ut instituta ratione exercitus romani caruerint. Fieri igitur potest, ut fuerint „numeri“, qvi centuriatim erant instructi.** De eorum distributione monet auctor libelli: „non plus qvam tripertitae*** esse debebunt nec longe ab alterutris, ut bene † tesseram seu vocabula citationis audiant.“ †† His verbis nihil significatur nisi qvod non plus qvam per ternas partes, qvas viae vicinariae et qvaestorium sine dubio efficiebant, singuli numeri distribuendi erant, ut bene praecepta ††† vel citationes audirent. Atqve vero tripertitio efficitur, si Cantabros, Palmyrenos et Brittones sinistro castrorum latere, Dacos autem et Getulos dextro ponimus; tripertiti enim fiunt et Brittones et Daci. — Camelis qvoqve locus in retentura assignandus erat. Tendebant enim *secundum* (sic sine dubio scribendum est vel: *intra*) qvaestorium; sed juxta classicos in praetentura erant ponendi,

---

* Fieri potest, ut ita cap. 19 scriptum sit. Retineri tamen potest scriptura codicis: „supra scriptae“ propter p. 73, 6; 82, 6; Aur. Vict. Caes. 32 titulosqve, ut Wilm. 1472, 2128.

** Wilm. 1548.

*** Defendi potest forma masculina, si ad milites singularum nationum verbum revocamus.

† cfr. p. 70, 14: „uinos“ pro „binos“; p. 66, 14, „ballum“ pro „vallum.“ Potest etiam *unâ* fuisse.

†† ita recte cod. *B. in margine.*

††† Veg. II, 7: „tessera autem dicitur praeceptum ducis qvo vel ad aliqvod opus vel ad bellum movetur exercitus.

si „in hostem exituri" erant. Tum aut classici milites artius tendebant, aut camelis in via vicinaria, cujus dimidiam latitudinem explebant, locus erat attributus.

Qvi ab auctore libelli dati sunt numeri augeri vel imminui potuerunt, ut ambitus castrorum non immutaretur. Si vero certus numerus, qvi (capp. 34—36, 40) de pretentura et retentura (non lateribus praetorii v. cap. 39) ab eo indicatur vel potius significatur,* excessus erat, „omnia immutabantur et cohortes circa vallum aliter tendebant" (cap. 41). De positione autem et divisione legionum ** circa vallum tendentium in alio suo opere proprie tractatum esse dicit (cap. 47) auctor libelli, qvod ad „dominum fratrem" se missurum esse promittit si hic primum eam metationem, qvam ad certum militum numerum pertinentem *** in secunda libelli sui parte exposuit, in bello, cui ille cum imperatore intererat, usurpaverit ("si primum cotidianam metationem tractabis." †

De duabus rebus munitionis castrorum pauca addam. ††
Dicit auctor libelli cap. 54 „angulos castrorum circinari oportere, qvia coxas efficiunt instabiliuntqve opus, propugnatio-

---

* cfr. Langium ad Hyg. p. 191.

** Scribo cap. 47: legiones positas et divisas in duos; cfr. paullo ante: „onimus" pro „ponimus. — Perverse Gemoll „omni non" scripsit pro „omnino non" (p. 93, 5), qvod res palaeographicae potius postulant.

*** Certum exercitum ob oculos auctori versatum esse in libello scribendo, ratio et numerus copiarum praetenturae probant.

† E tempore verbi tractandi (cap. 47), nullo modo, ut voluit Lange (prol. p. 55; ad Hyg. p. 197) efficitur, „dominum fratrem" in bellum profecturum esse: postulat enim ratio syntactica etiam tunc fut. exact. Futurum simplex hoc loco ideo usurpatum esse videtur, qvod tractatio cotid. metationis non pro absoluta et perfecta habetur, cum alter liber pervenit. Fieri etiam potest, ut fut. primum omnino licentius adhibitum sit.

†† De nugis Goeleri (l. l. Anh. II p. 253 sqv.) taceo.

nem *nudantes.*" In verbis seqventibus, qvae descriptionem circinationis continent, nihil Lange falso intellexit nisi verbum operis, qvod idem est ac circinatio, ut latitudo operis „radium" * significet similiter ac „pars qvarta" 90°. Est enim enuntiatio: „usqve qvo — — comprehenderit" ** artius cum prioribus verbis conjungenda. Confirmant evidentissime Langii explicationem monumenta. *** De clavicula autem et titulo Lange sine dubio erravit. Scribo cap. 50 ita: „et lorica pa[illegible] fit similiter ante portas, ut titulum ad fossam ante vallum; † causa instructionis clavicula est cognominata." His verbis constitutis omnia optime cohaerent. Primum libelli auctor dicit pedibus sexaginta (triginta? LX pro XXX?) extra castra „per latitudinem portarum" „ad fossam" (majorem) „ante vallum" fieri parvam fossam, qvae propter brevitatem titulum †† nominetur. Similiter ante portas munitio parva extruitur, „caussa instructionis" vel „ab effectu" — qvod idem significat — clavicula appellata, cujus circinatio cap. 55 accuratius describitur; hujus descriptionis satis simplicis imaginem infra pono:

---


* Cic. Tim. c. 6.

** Non necessario — qvia facile ad „comprehendit" cogitatione suppletur „circinus", ut ad „qvartam partem" „circuli" — verbum: comprehenderit mutavit G. Gemoll.

*** Froehner la col. Traj. tabb. 89, 134 saepe; Jahrbbr d. Rheinl vol. 47 & 48 p. 48, ubi circinatos angulos castrorum apud Niederbieber positorum accurate radius 45 pedum effecit („qvae efficiunt partem qvartam."

† Gemollii conjectura perversissima est, qvia qvod gravius est, in falso enuntiati membro positum est. Neqve melius conjecit (c. 51) „confragosum", qvod verbum germanice „holperig" significat. „Ex eo medio" (c. 55) non est necessarium et potest per errorem ad „cardinem" referri.

†† De titulis honorariis brevissimis cogitandum esse videtur.



Claviculae etiam in monumentis inveniuntur * et Vitruvius ** eas memorat his verbis: — „excogitandum uti portarum itinera non sint directa, sed scaeva. namqve cum ita factum fuerit, tum dextrum latus accedentibus qvod scuto non erit tectum, proximum erit muro.“

* ut Froehner, l. l. tab. 163: introrsus conversa; Krieg v. Hochfelden l. l. p. 67 sqv. [in castellis apud Chew-Green].

** I, 5 p. 21 R.